J. Vandal

in Eszra librum canoniũ vestibulum philologicum.


Hafn., 1654.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

1,-96

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 00964 9

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

In Divini Scribæ EZRÆ Librum Canonicum VESTIBULUM PHILOLOGICUM,

Quô

Quæſtiones variæ ad Literaturam Sanctam ſpectantes expenduntur,

Publicè ad diſputandum

propoſitum,

à

JOHANNE WANDALINO

S. Ling. Prof. P.

Reſpondente

NICOLAO CHILIANO STUBÆO.

Ad III. Calend. Maji,

locô horisq; conſuetis.

Imprimebat Melchior Martzan, Acad. Typ.
ANNO clɔ Iɔc L IV.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

BIBLIOTHECA REGIA HAVNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

In Canonicum
Divini Scribæ
EZRÆ
Librum
Veſtibulum Philologicum.

Theſis I.

QVemadmodum olim Hamani Principi in interius Regis Ahaſveri cubiculum ingredi haut fuit integrum, niſi priùs in atrio exteriori præſtolato, & veniam introeundi à Rege conſecuto Eſth. VI. 5. 6. Ita nos qvoq; in ipſa divini Scriptoris noſtri Ezræ adyta pervadere religio prohibet, niſi antea in veſtibulo commoratos, atq; dignè ad introitum præparatos. Scitè qvippe dictum Sapientibus Ebræorum deprehendimus in Cod. Talm. *Schabbas* fol. 31. 2. הבל על דלית ליה דרתא ותרעא לדרתא עביר i. e. *Væ illi, cui non eſt atrium, & portam atrium facit.* Adeóq; qvùm ſacrum hunc θεοπνεύςȣ Scribæ librum, partim Ebræo, partim Chaldaico idiomate primitùs conſignatum, & Eccleſiæ traditum, publicis prælectionibus explicandum pridem aggreſſi ſimus, ſcilicet ut hâc occaſione genuinam utriusq; iſtius idiotiſmi rationem ac indolem tyronibus exponere & explanare nobis liceret: operæ pretium jam nobis videmur facturi, ſi paucula hæc, tum de Autore ipſo, tum de hoc ipſius ſcripto, in anteceſſum obſervanda proponamus, qvæ multum omninò lucis noſtræ, qvam ſubjungemus, ipſius libri exegeſi fœneratura credimus.

II.

De ipſo qvidem Autore id primo loco diſpiciendum nobis venit, ecqvis ipſe fuerit qvoad genus & proſapiam? Id verò à nullo certiùs aut faciliùs diſcemus, qvàm ab ipſo Ezra noſtro, qvi libri

Ezræ genus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

libri hujus c. VII. v. 1. ſeqq. ſuam genealogiam deſcribit, eamq; inde ab Aarone, primo & ſummo V. T. Pontifice, per ſedecim generationes deducit, & qvidem in continua linea paterna, cùm maternum genus juxta vulgatum Juris Judaici canonem in familiis non reputetur. Patrem ſuum nominat *Serajam*, qvi

Pater Ezræ Serajas.

כהן הראש extitit, ſummus nempe ille Sacerdos, qvem populô Judaicô devictô, Hieroſolymâ captâ, & templô combuſtô Nebucadnezar victor ſimul cum aliis primariæ dignitatis viris Judæis interimi juſſit, teſte Hiſtoriâ ſacrâ 2 Reg. XXV. v. 18. 21. & Propheta Jeremia LII. 24. 27. Eundem enim fuiſſe Serajam Ezræ parentem cum ſummo illo Pontifice, qvi tum à Rege Babylonis occiſus fuit, qvanqvam plurium aliàs nomine iſto Serajæ vocatorum Scriptura V. T. mentionem faciat, docere poteſt catalogus Pontificum, qvi 1. Paral. VI. 3. 4. ſeqq. texitur, collatus cum nominato Ezræ noſtri ſtemmate c. VII. cum utrobiq; iidem prorſus Serajæ iſtius Pater, Avus, Proavus, Abavus, Atavus, Tritavus, & Majores cæteri enumerentur, & una eademq; genealogia utrobiq; recenſeatur, niſi qvod Autor Paralipomenon ſex generationes inter *Merajothum* & *Azariam* interſerat, qvas Ezra noſter omiſit, qvi לקצר דלג אותם בתי אבות i. e. *brevitatis causâ illas tranſſilivit familias*, ut rectè R. David Kimchius ad locum iſtum Chronicorum monuit.

III.

Ezræ frater Jehozadakus Pontifex.

Serajas iſte (cujus nomen P. Ravanellus in Bibl. Sac. perperam reddit *Canticum Domini*; ac ſi eſſet à verbo שׁור, cùm tamen dicatur שְׂרָיָה, cum שׂ non cum שׁ, qvâ appellatione *Princeps Domini* propriè deſignatur,) Ezræ parens filium alium natu majorem ſuſceperat, nomine Jehozadakum, ſuum in dignitate Pontificali ſucceſſorem, qvi unà cum aliis captivis Babylonem à Nebucadnezare deportatus 1. Paral. VI. 15. filium genuit Jeſum vel Jehoſvam, mox ſibi in ſummo Sacerdotio ſurrogatum, qvi unà cum Zorobabele populo Judaico è captivitate in patrias ſedes revertenti, velut ordinis Levitici Dux & caput, præfuit Ezr. II. 2. III. 2. 9. &c. atqve inde à Prophetis συγχρόνοις Haggæo c. I. 1. 12. 14. II. 2. & Zacharia c. III. 1. 8. VI. 11. הכהן הגדול nuncupatur.

IV.

Ezra diver-

Fallitur proinde Sixtus Senenſis, qvi Bibl. Sacr. l. I. p. 10.

&l.II.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

& l.II. p. 76. Edit. Colon. Ezram cum fratre ſuo germano Jeho- zadako confundit, ac ſi Ezra ipſe ſummus Pontifex fuiſſet, duplici ſaltem nomine inſignitus. Eadem D. Hieronymi opinio fuiſſe videtur in Tradit. Ebraic. niſi Ebræorum tantùm ſententiam iſto in loco exprimat. Ibi enim aſſeritur, qvod *Joſedech Sacerdos* (1 Paral. VI. 15. memoratus,) *ipſe ſit Eſdras, & qvod ipſe ſuo in libro ſe* (i. e. dignitatis ſuæ mentionem,) *humilitatis causâ prætermittat.* Mox qvoq; *ipſius Eſdræ filius* dicitur *Jeſus, Sacerdos ille magnus, de qvo meminit Zacharias Propheta.* Qvin & in Chronico Alexandrino *Eſdras Pontifex* diſertis verbis appellatur. Sed diverſos fuiſſe Jehozadakum & Ezram, qvanqvam unô parente genitos, inde manifeſtum evadit, qvod Joſva Jehozadaki filius Ezræ ætate æqvalis extiterit, & qvidem ſummo Sacerdotio functus, qvod è locis ſupra allegatis liqvet. At ſi Ezras fuiſſet ipſe Jehozadakus Joſvæ pater, ipſe ſine dubio Pontificatum ſibi vendicâſſet, ſimulq; populi è captvitate reducis principatum, nec iſtam provinciam ad Joſvam ſe vivente transferri paſſus fuiſſet. Imò & Ezra noſter Joſvæ Pontificis tanqvam alieni meminit, eumq; Jehozadaki filium, non ſuum, appellat. Certè cum Ezra filius Serajæ Pontificis eſſet natu minor, fratri primogenito Jehozadako mitram Pontificalem præripere haut potuit, nec Jehozadako defuncto iſtâ in dignitate ſuccedere, niſi id vel ob ætatem minorem, vel alium in Joſva Jehozadaki filio defectum contigiſſet. Verùm nihil ejusmodi ſacra monumenta indicant, qvæ contrarium potiùs produnt, dum Joſvæ Pontificatum liqvidò tribuunt.

Ezra frater fuit è Jehozadako.

V.

Rectè igitur *Seder Olam Zuta* i. e. Chronicon Mundi minus Ebraicum, Jehozadakum ab Ezra diſtinxit, verbis Zedechiæ regno adjectis יהוצדק אחי עזרא הסופר ירמיה ויחזקאל נביאים, qvæ Munſterus & Genebrardus ita reddunt: *Fuitq; Jehozadak frater Ezræ Scribæ, Jeremiah verò & Jehezkel Prophetæ.* Iſta autem verba ſupplenda videntur, & ad vocem הסופר addendæ duæ aliæ כהן גדול, ut ſenſus hic emergat: & *Jehozadak frater Ezræ Scribæ fuit ſummus Sacerdos; Prophetæ verò Jeremias & Jehezkel.* Conſimili enim prorſus modo de ſingulis, qvi præceſſere, Pontificibus pariter ac Prophetis Autor iſtius libelli locutus deprehenditur,

Locus è Seder Olam expenditur

ditur, qvod & oportunè obſervavit doctiſſimus Seldenus l. 1. de Succeſs. in Pontific. Ebr. c. 5. Malè autem Genebrardus verba iſta eâ ratione compoſuit, ac ſi Jehozadakum Ezræ Scribæ fratrem & Jeremiam ac Ezechielem Scriptor iſte Prophetas ſimul voluiſſet ſalutandos. Nam id ab ipſius mente alieniſſimum fuit, qvi procul dubio de Jehozadako in Prophetarum numerum cooptando nunqvam cogitavit. Joſephus ſanè Antiq. X. 11. hunc Jehozadakum (qvem Ἰωσάδοκον vocat) Ἀρχιερέα, ὑὸν Σαραία τῦ Ἀρχιερέως, rotundè nominat, eumq; vinctum à Rege victore Babylonem abductum, & demum è vinculis exemptum eſſe perhibet.

VI.

Raſchii gloſſema rejicitur.

Mirum autem eſt R. Salomonis Jarchii gloſſema ad 1. Paral. VI. 15. ubi Joſvæ qvidem in Pontificatu ſucceſſionem agnoſcit, rationem verò futilem addit, qvare patruo ipſius Ezræ iſte honos non fuerit delatus, dum ait: ומה שלא היה עזרא בן שריה הסופר כהן גדול ובן אחיו יהושע בן יהצדק כיהן זהו הטעם לפי כי יהושע עלה עם זרובבל כמה ימים ושנים קודם שעלה עזרא i. e. *Et qvod Ezra filius Seraja Scriba non fuerit ſummus Sacerdos, ſed filius fratris ejus Joſva, filius Jehozadaki, Pontificatum obtinuerit, ratio hæc eſt, qvia Joſva aſcendit cum Zorobabele aliqvot diebus & annis, priusqvam Ezra aſcenderet.* Egregia verò conſeqventia. An ideo filius Pontificis natu minor fratris primogeniti filio in hæreditaria ſucceſſione anteferendus fuiſſet, ſi is prior in patrias ſedes revertiſſet? Qvin propria ſua vineta cædit Raſchi, dum ad locum 1. Paral. XXIV. 2. ubi filiis Aharonis natu majoribus Nadab & Abihu, ante patrem ſuum ſine relictâ prole maſcula defunctis, Eleazar & Ithamar, fratres minores, in Sacerdotio ſurrogati dicuntur, ita commentatur: אבל עם היו לנדב ואביהוא בנים היו קודמים לאלעזר ואיתמר בכהונה גדולה שכן מצינו בעזרא כשעלו מבבל עלה יהושע ושימש ולא שימש עזרא לפי שהיה יהוצדק הבכור וקדמו בן אחיו הבכור וגו״ i. e. *Si verò habuiſſent Nadab & Abihu filios, antevertiſſent illi Eleazarum & Ithamarum in Pontificatu obtinendo, qvia ita animadvertimus in Hiſtoria Ezræ, qvod cùm aſcenderent è Babel* (Judæi è captivitate reduces,) *aſcendit Joſva & officio Pontificali functus eſt, qvod non*

con-

contigit Ezra, eò qvòd Jehozadak (pater Joſvæ,) *primogenitus eſſet, & præferri ipſi* (Ezræ) *deberet filius fratris ejus natu majoris.* Qvare nulla alia ratio, qvàm primogenitura Jehozadaki, Joſvæ filio ad Pontificatum aditum aperuit, qvem Ezræ fratri denegavit.

VII.

Qvandoqvidem igitur Serajæ Pontificis filius erat Ezra, *Ezra grandævus fuit.* provectæ omninò ætatis fuiſſe eum oportet, cùm è captivitate Babylonica in Judæam rediret, utpote genitum ante fatale urbis templiq; excidium, in qvo Pater ipſius periit, uti ſupra commemoravimus. Nam reditus ipſius in patriam in annum Artaxerxis ſeptimum incidit, qvod ipſe teſtatur c. VII. v. 7. & deinceps vitam ulteriùs ſine dubio prorogavit, qvanqvam de termino ipſius nobis haut conſtet, ſicut incertum qvoq; ejuſdem initium eſt, cùm non liqveat, qvoto ante Patris interitum anno lucem adſpexerit. Nomen autem ſortitus eſt boni ominis plenum, cum *Nominis ipſius etymon.* à verbo עזר dictus ſit *auxiliator*, ac ſi Pater ſpiritu Prophetico prævidiſſet, hunc filium Eccleſiæ Judaicæ extremùm afflictæ inſigne olim & extremum in religione & politia reſtauranda auxilium allaturum. Hieronymus Comm. in Mich. II. *adjutorem* interpretatur. Eodem qvippe inſtituto heroës diluvio priores Kenan, Jered & Lemech filiis Mahalaleel, Chanoch & Noach nomina ab ejusmodi religioſa cogitatione derivata impoſuerunt. Sic & Nehemias ſocius Ezræ & fidus Achates conſimili Parentum intentione tanqvam *conſolator Domini* fuit denominatus. Græcis qvidem LXX Senibus, Joſepho, aliisq; Ἔσδρας, La- *Ejusdem nominis orthographia.* tinis non paucis *Esdras* Autor noſter appellatur, *qvorum pronunciationem ratione haut deſtitui* cenſet Cl. Voſſius de Vit. ſerm. *Lat.* lib. 1. c. 10. *qvia Z olim ſonuit ut* δσ, *unde Dores trajectis literis pro* Ἔζρα *dixiſſent* Ἔσδρα, *ut* συρίσδω *pro* συρίζω *apud Theocritum.* Verùm analogiæ & primogeniæ nomenclaturæ id convenientius videtur, ut *Ezra* ſcribatur & enuncietur ab עזרא, ſicut à נזיר LXX Interpretibus Ναζηραῖος Jud. XVI. 18. Matthæo Evangeliſtæ c. II. 23. Ναζωραῖος, & Joſepho Ant IV. 4. Ναζαραῖος dicitur, à חזק iisdem Ἐζεκίας 2 Reg. XVI. ult. Matth. I. 10. Joſ. Ant. IX. 10. & Ἰεζεχιὴλ 1. Par. XXIV. 16. ac Joſ. Antiq. X. 4. à חזה Ἀζαὴλ 2. Reg XIX. 15. Joſ. Ant. IX. 8. & ab eodem verbo עזר Ἐ-

λιέζερ Exod. XVIII. 3. Ἐλεάζαρ c. VI. 23. 25. Ἀβενέζερ 1. Sam. IV. 1. Ἀζαρίας 2. Reg. XIV. 21. & Joſ. Antiq. X. 11. efferuntur, ut alia plurima taceam, in qvibus Ebræum ז Græci per ζ, & Latini per Z, non verò per DS aut SD, perpetuo uſu qvàm rectiſſimè exprimunt.

VIII.

Officium Ezræ duplex.

Deinde attendendum nobis erit, qvis fuerit Ezras qvoad officium, nempe qvòd & Sacerdotis & Scribæ munus obtinuerit. De utroq; ipſe teſtimonium perhibet c. VII. 11. ubi ab Artaxerxe Rege tàm הַכֹּהֵן qvàm הַסּוֹפֵר ſalutatur, ſicut & v. 12. 21.

Ezra fuit Sacerdos.

Et qvoad prius qvidem, ſicut è Sacerdotali, imò Pontificali, familiâ erat oriundus, extra qvam nemini ad ſacram iſtam provinvinciam acceſſus patebat Ezr. II. 62. ita ipſe qvoq; Sacerdotio functus eſt, non tamen ſummo & primario, uti Pontifex, qvod jam demonſtravimus, ſed tanqvam è ſecundariis unus, cujus commune cum reliqvis officium fuit, docere populum ſtatuta Dei, eorumq; genuinam explicationem tradere, item precari & benedicere, ſacrificia Deo offerre, nec non jurisdictionem Eccleſiaſticam exercere. Hinc Joſepho Ant. XI. 5. πρῶτος ἱερεὺς τοῦ λαοῦ nuncupatur, & qvidem cum hoc elogio, qvod fuerit δίκαιος ἀνὴρ καὶ δόξης ἀπολαύων ἀγαθῆς παρὰ τῷ πλήθει. Intelligendum verò illud πρῶτος ἱερεὺς non de Pontificatu, qvem verbis diſertis proximè præcedentibus Joachimo Joſvæ filio aſſignaverat Joſephus; ſed fortaſſe de dignitate inter Sacerdotes ſecundanos primariâ, qvæ penes duos cæteris magis illuſtres reſidebat, qvorum alter totius ordinis Levitici caput & Dux, præcipuis Levitis, nempe Kehathitis, tanqvam inſpector præerat Num. III. 32. alter prioris erat qvaſi Legatus, qvi in inferiorum Levitarum, Gerſonitarum ſcilicet & Meraritarum, diligentiam & munia inqvirebat Num. IV. 28. 33. Vid. B. Corn. Bertram. de Rep. Ebr. c. 7. & 15. Qvalem ſi Ezræ Sacerdoti prærogativam tribuerimus, nihil à veritate & Joſephi mente alienum dixerimus.

IX.

Ezra fuit Scriba.

Alterum Ezræ munus qvod attinet, fuit is סופר *Scriba*, & qvidem cum epitheto סופר מהיר בתורת משה *Scriba velox*, (LXX. γραμματεὺς ταχὺς,) *in lege Moſis* Ezr. VII. 6. Item ספר דברי מצות יהוה וחקיו על ישראל *Scriba peritus rerum à Domino præcepta-*

ceptarum & ſtatutorum ejus ſuper Iſraëlem v. 11. & ספר דתא די
אלה שמיא גמיר *Legisperitus ſive Juriſconſultus Dei cœlorum perfectus.* Varium autem notionis hujus סופר in Hiſtoria Judaica uſum obſervamus. Alii Scribæ Politici extitere, iiq; vel ſuperiores, Regum ac Principum miniſtri, penes qvos inſtrumenta publica, & annalium, cenſuum ac redituum regni tabulæ, & id genus alia monumenta ſervabantur, qvales nominantur סופרי המלך *Scribæ ſeu Secretarii Regii* Eſth. III. 12. in Paraphraſi Chaldaica לבלרין i. e. *Libellarii* dicti appellatione Thalmudicâ, è qvorum cenſu fuere *Serajas* 2. Sam. VIII. 17. *Scheja* XX. 25. *Schebna* 2. Reg. XVIII. 18. 37. XIX. 2. *Eliſchama* Jer. XXVI. 12. *Schimſchai* Ezr. IV. 8. & alii titulo סופר המלך inſigniti 2. Reg. XII. 10. ac 2. Paral. XXIV. 11. imprimis ille סופר שר הצבא המצביא את עם הארץ *Scriba Princeps Exercitus congregans ad bellum populum terræ*, cujus mentio fit 2. Reg. XXV. 19. & Jerem. LII. 25. Hinc vox שוטרים *Præfectos* notans à LXX. Interpretibus redditur per γραμματεῖς Ex. V. 6. ubi jungitur cum הנוגשים ἐργοδιώκταις, ut & 1. Par. XXIII. 4. ubi ſeqvuntur ſtatim שופטים κριταί. Atq; eô ſenſu סופר dignitatis civilis nomen eſt, planè ſicut & כהן, præter vulgarem Eccleſiaſtici muneris ſignificationem, ad politicam qvoq; eminentiam, qvæ in Satrapis eſt, denotandam adhibetur Gen. XLI. 45. Ex. II. 16. III. 1. 2. Sam. VIII. 18. ubi Paraphraſtes Chald. vertit רַבָּא & רַבְרְבִין, LXX autem Interpretes poſtremô locô *ἀυλάρχας* i. e. *Principes aulæ* reddunt. Vel inferiores Scribæ & plebeji fuere, qvi actuarii erant & notarii communes, in privatis contractibus aliisq; ejusmodi actis conſignandis occupati, qvos Ezechiel proculdubio indigitat c. IX. 2. 3. & Rex Vates Pſalm. XLV. 2.

Geminus Scribarum ordo.

Scribæ Politici.

X.

Alii autem fuere Scribæ Eccleſiaſtici, ſacrarum literarum & juris divini exactâ peritiâ inſignes, qvi Doctorum & Profeſſorum Publicorum inſtar Scripturam ſacram meditabantur, exponebant, à corruptelis vindicabant, in templo & Synagogis prælegebant, obſcuriorum interpretationem, ubi opus, adjiciebant, dubia ex Lege & Prophetis objecta ſolvebant, & perplexas circa verbum Dei qvæſtiones enodabant. Qvin & veluti Theologi Critici genuinæ ſacræ Scripturæ integritati conſervandæ ſolici-

Scribæ Eccleſiaſtici.

licitam operam adhibebant. In N. T. γραμματεῖς appellantur, qvos magnam autoritatem cum poteſtate aliqvâ judiciariâ conjunctam obtinuiſſe è Matth. XX. 18. colligimus. Vocantur etiam νομοδιδάσκαλοι, nec non νομικοὶ, qvanqvam hos à Scribis diſtingvendos velit poſt Scaligerum Elench. Trihæreſ. c. XI. Jo. Camero in Prælection. ad Matth. XIX. 3. autoritate verborum Lucæ c. XI. 44. 45. eam in opinionem fruſtra inductus. Verùm eadem ibi prædicata τοῖς νομικοῖς impingit Chriſtus v. 46. & 52. qvæ alio in loco Scribis attribuit Matth. XXII. 4. & 13. Et eosdem fuiſſe γραμματέας & νομικοὺς, manifeſtè oſtendit collatio locorum Matth. XXII. 35. & Marc. XII. 28. Qvi enim Matthæo vocatur νομικὸς, Marco εἷς τῶν γραμματέων dicitur. Hinc Syrus νομικὸν æqve ac γραμματέα freqventer eâdem notione ספרא reddit. Niſi levicula hæc inter eos differentia ſit admittenda, qvod vocabulum γραμματεὺς latius ſit, & notet homines θεωρητικοὺς, contemplationi Legis, & deſcribendis ac corrigendis S. Scripturæ codicibus vacantes; nomen verò νομικὸς ſtrictiore ſenſu in praxi & qvæſtionibus hanc concernentibus occupatos deſignet. Vid. Spanhem. Dub. Evang. P. II. Dub. XXXVIII. & XXXIX.

Scribæ an ii iem cum τοῖς νομικοῖς.

XI.

Scribæ non fuère Secta.

Malè Scribarum horum inſtitutum pro Secta habuerunt nonnulli, eosq; Phariſæis perperàm annumeravit Baronius, παρερμηνεία loci Act. XXIII. 9. deceptus, uti docet Caſaubonus Exerc. I. ſect. 9. Muneris enim nomen fuiſſe Scribas, non ſectæ, ſatis perſpiciunt illi, qvorum oculi non in meridie cæcutiunt. Sectarum qvoq; initia Scribarum ortu eſſe poſteriora, nemini latet erudito.

Origo Scribarum.

Originem autem hujus Scribarum ordinis qvidam ab ipſa legis promulgatione arceſſunt, ſicq; antiqviſſimum eum faciunt. Alii ad Davidis ætatem ejus ortum referunt, alii ad Joſaphatum, alii deniq; ad Hillelis & Schammai tempora Chriſti adventui proxima eum rejiciunt. Et Epiphanius qvidem Scribas unà cum Sadducæis exortos cenſet, qvod explodit Caſaubonus loco allegato.

Ezra Scribarum Patriarcha.

Nos verò iſtum honorem Ezræ noſtro deferendum arbitramur, ut ipſe Scribarum Eccleſiaſticorum Patriarcha conſtituatur, atq; ab ejus ætate iſtorum initium deducatur. Antiqvius enim eorum inſtitutum qvi fingunt, omni ſolidâ ratione deſtituuntur. Recen-

centius autem illud qvi faciunt, celebratô Ezræ & Sociorum officiô redarguuntur. Circa iſtam verò tempeſtatem in publicum prodiere Scribæ, qvâ Prophetiæ donum in Malachia exſpiravit, & Sacerdotes gubernationi civili & politicis negotiis, magis qvàm Legis explicationi & plebis informationi, vacare cœperunt. Et Ezra qvidem cum Prophetis *συγχρόνοις* & ſociis reliqvis אנשי כנסת הגדולה *Viris Synagogæ Magnæ* accuratam & indefeſſam operam in ſacris codicibus deſcribendis, emendandis, adornandis & explicandis collocavit, atq; החזיר עטרה ליושנה *reſtituit coronam* (Legis) *in antiqvum ſtatum*, ut loqvitur Autor libri *Juchaſin* fol. 13. Vid. Buxtorf. in Tiber. c. X. Unde ipſe Ezra titulum סופר *καὶ ἐξοχὴν* commeruit, qvippe qvi divini Scripturarum Canonis ſedulus vindex, & fidus Interpres extitit, ſecundùm proprium & veraciſſimum ipſius de ſe teſtimonium c. VII. 10. nimirum qvod ipſe *diſpoſuerit cor ſuum ad indagandam Legem Domini, & ad præſtandum docendumq; in Iſraële ſtatutum & judicium.*

XII.

Ezræ encomia.

Dignus proinde fuit Ezra, tanqvam Scribarum primus Dux & Anteſignanus, qvi tantis laudibus ornaretur, qvantas Judaici Scriptores in ipſum congerunt. Joſepho *ἀναγνώστης τῶν τοῦ θεοῦ νόμων*, & *τῶν Μωυσέως νόμων ἱκανῶς ἔμπειρος* appellatur, loco ſup. allegato. Obſerva qvod Ebræum סופר Joſephus reddat voce *ἀναγνώστης*, qvæ *Lectorem* ſignificat, qvo etiam nomine Ezram appellatum ab Athanaſio in *S*ynopſi deprehendo, & qvidem cum elogio, qvô *Φιλόκαλος καὶ εὐφυὴς* ſalutatur. R. Ephodæus libri ſui Grammatici cap. 7. ipſum diſertis verbis השלם ראש הסופרים *perfectum Scribarũ caput* & *principem* nuncupat. Elias Levita Præfat. Rythmicâ primâ in librum *Maſoreth hammaſoreth* rotundè qvoq; illum כהן ורב ולסופרים אב אם למקרא ולמסרה i.e. *Sacerdotem & Doctorem, & Scribarum Patrem, & matrem bibliorum ac Maſora appellat.* Qvin Talmud Babylon. Cod. *Sanhedrin* tale Ezræ encomium habet: ראוי היה עזרא שתנתן תורה על ידיו לישראל אלמלא לא קדמו משה׳ במשה הוא אמר ומשה עלה אל האלהים׳ בעזרא הוא אמר ועזרא עלה מבבל׳ מה עליה האמור כאן תורה׳ אף עליה האמור להלן תורה׳ במשה הוא אמר ואתי צוה יהוה בעת ההיא ללמד אתכם חקים ומשפטים׳ בעזרא

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

הוא אמר כי עזרא הכין לבבו לדרש את תורת אדני ולעשות וללמד בישראל חק ומשפט i. e. *Dignus erat Ezra, per cujus manus data fuiſſet Lex Iſraëli, ſi non antevertiſſet ipſum Moſes. De Moſe dicitur* (Exod. XIX. 3.) *& Moſes aſcendit ad Deum; de Ezra dicitur* (Ezr. VII. 6.) *& Ezra aſcendit è Babylonia. Qvid ſibi vult aſcenſus heic? ſignificat Legem; qvin & illic aſcenſus Legem denotat. De Moſe dicitur* (Deut. IV. 14.) *& mihi præcepit Dominus iſto tempore ad docendum vos ſtatuta atq; judicia; de Ezra dicitur* (Ezr. VII. 10.) *qvia Ezra diſpoſuit animum ſuum ad interpretandum legem Domini, & præſtandum docendumq; in Iſraële ſtatutum & judicium.* Alia Ezræ elogia jam prætermitto. Id ſaltem aſſero, qvòd ſi ulli Scribarum congruere potuerit *clavis ſcientiæ*, ad qvam Chriſtus alludit Luc. XI. 52. qvamq; unà cum pugillaribus Doctoratus olim inſigne fuiſſe docet Jo. Camero in Myrothec. Evang. p. 130. unde qvodam R. Samuele defunctò, clavis & pugillares ejus in loculo ipſius reconditi perhibentur, eò qvòd filium non haberet, cui iſta Doctoratus ſui inſignia relinqveret: profectò Ezra noſter hanc ſibi κλεῖδα τῆς γνώσεως optimo jure vendicaverit, utpote qvi tàm ætate, qvàm exactâ rerum ſacrarum peritiâ & pio zelo omnes Scribas antecelluit.

XIII.

Ezra an idem cum Malachia.

Eundem cum Malachia Prophetarum ultimo Ezram noſtrum fuiſſe, Ebræorum non pauci opinati ſunt. Jonathan Paraphraſtes Chaldæus Malach. I. 1. ad verba ביד מלאכי hoc gloſſema de ſuo aſſuit דְּיִתְקְרֵי שְׁמֵיהּ עֶזְרָא סָפְרָא i. e. *per manus Malachiæ, cujus nomen vocatur Ezra Scriba.* R. David Kimchi in comm. ad h. l. ſcribit ר״זל אמרו מלאכי זה עזרא ולא מצאנו בשום מקום שקראו נביא אלא עזרא הסופר i. e. *Rabbini noſtri piæ memoriæ ajunt Malachiam eſſe Ezram, qvanqvam non inveniamus ullum locum, ubi vocetur Propheta, ſed Ezra Scriba.* Aben Ezra ad Ezr. VII. 1. notat ואמרו רז״ל עזרא הוא מלאכי i. e. *tradiderunt Rabbini noſtri p. m. qvòd Ezra ille ſit Malachias.* Elias Levita in Præf. Rythm. ſup. allegat. ita loqvitur: עלה עזרא הוא מלאכי דומה אל מלאך השרת i. e. *Adſcendit Ezra, qvi eſt Malachias, ſimilis Angelo miniſtratorio.* En ut alludat Elias ad nomen Malachiæ, qvod Angelum deſignat, (unde Origenes & alii

vete-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

veteres Malachiam hunc Angelum fuiſſe, in carne ad prophetandum ablegatum, opinati fuêre, teſte Hieronymo) idq; Ezræ accommodet, qvòd Angeli inſtar ad ſalutem Judæorum procurandam è regno Babylonis divinitus ſit emiſſus. Id etiam Hieronymus ab Ebræis didicerat, qvod ipſe oſtendit comm. in Malach. ſtatim in principio. Idem Ruperto qvoq; Tuitienſi & Remigio, nec non Franc. Riberæ Jeſuitæ, & Aug. Torniello Annalium Scriptori, haut diſplicuit.

XIV.

Verùm diverſum omninò à Malachia fuiſſe Ezram, diverſa ipſorum ætas paulò diligentiùs conſiderata facilè perſvaſerit. Ezra enim ante captivitatem Babylonicam genitus, ſolutâ jam illâ grandævus extitit, veluti ſupra docuimus th. VII. At Malachias demùm poſt ſolutam captivitatem floruit, omnium Prophetarum noviſſimus, in qvo etiam juxta ipſorum Ebræorum placitum Prophetiæ donum in Iſraële prorſus deſiit. Imò ſi fides habenda eſt Epiphanio in lib. de vita Prophetarum (qvem tamen ſuppoſititium cenſent Rainoldus, R. Cocus, Rivetus & Petavius) nec non Iſidoro & Dorotheo in Synopſi, Malachias non è tribu Levi, ſed Zebulon, oriundus fuit, & in Judæa demum poſt reditum populi è terra Babylonis primam lucem adſpexit, atq; ſupremum diem admodum juvenis, immaturâ morte abreptus, obiit. Hinc Ezræ & Malachiæ nomina perpetuò in Scriptura diſtingvuntur, & ille qvidem *Scribæ*, hic verò *Prophetæ* titulo ubiq; inſignitur. Nusqvam verò vel perſonæ vel officii reſpectu confunduntur. Diverſos qvoq; fuiſſe illos, agnovere Patres, Euſebius in Chronico, Auguſtinus de Civ. Dei XVIII. 36, Athanaſius in Synopſi S. Script. Cyrillus Alexandr. in Mal. c. 1. qvi dicit, *non eſſe audiendos qvi contra ſentiunt*, Chryſoſtomus Orat. 2. cont. Judæos & Theodoretus Præf. in Cantica, qvorum ſententiam, ut vero proximam, ſeqvuntur Lyra, Vatablus, Ar. Montan. Chriſtoph. à Caſtro, Caſp. Sanctius & Gabr. à Coſta in comm. in Malach. Bellarm. de Script. Eccleſ. Jac. Salianus & Henr. Spondan⁹ in Annal. Eccl. V. T. ad A. M. 3595. nec non Corn. à Lapide in Procem. comm. in Malach. qvi & argumenta adverſæ partis, ac ſpeciatim proprii ſocieni atq; tribulis Riberæ, operosè refellit, ad qvem curioſum Lectorem remittimus. Ebræos autem qvod

Diverſos fuiſſe eos probatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

concernit, nec omnes illos Ezram cum Malachia confudiſſe, vel inde manifeſtum eſt, qvod nonnulli inter eos enumeraturi viros Concilii magni, Ezram & Malachiam tanqvam duos diſtinctos recenſeant. Sic n. R. Moſes Maimonides in Præfat. ad יד חזקה ſcribit בית דינו של עזרא הם הנקראים אנשי כנסת הגדולה והם חגי זכריה ומלאכי וגו׳ i. e. *Domus Synodi Ezræ fuerunt illi, qvi vocantur viri concilii magni, nempe Haggæus, Zacharias & Malachias* &c. Eâdem ratione Don Iſaac Abarbinel in Præfat. ad נחלת אבות duodecim Senatus iſtius Eccleſiaſtici Antiſtites numerat, atq́; *Malachiam Prophetam & Ezram Sacerdotem ac Scribam* ceu duos diverſos nominat. Etiam Elias Levita ipſe eos diſtingvit Præfat. 3. in lib. *Maſoreth*. Nec diſſentit R. Abraham Bar Dior in ספר קבלה fol. 25. Vide Buxtorf. Tiber. c. X. ac XI. & Germen Davidis ad A. M. 3413.

XV.

An Prophetа dicendus ſit Ezra?

An Prophetæ appellatio Ezræ noſtro competere qveat, in dubium ab Autoribus vocatur. Et certum qvidem eſt, ſi Prophetæ notio ſtrictiſſimo ſenſu tantummodò deſignet Vatem, qvi ex ſingulari Spiritus Sancti inſtinctu & revelatione res futuras prædicit, vix Ezræ iſtum titulum concedi poſſe, qvùm hunc ulla vaticinia poſteritatis memoriæ reliqviſſe haut conſtet. Unde Auguſtinus de Civ. Dei XVIII. 36 *Ezram magis rerum geſtarum Scriptorem, qvàm Prophetam, eſſe habitum*, teſtatur. Non tamen inficias imus, qvin fieri potuerit, qvod futura qvidem prædixerit, ſed prædictiones ipſius ſacris literis haut ſint comprehenſæ, nec ad noſtras manus pervenerint. Id enim Henochi Prophetæ antediluviani, aliorumq́; poſtmodùm, ut Abiæ, Nathanis, Gad, Semajæ & Hiddonis, libris ac Prophetiis, qvarum mentio extat 1. Chron. XXIX. 29. 2. Chron. IX. 29. & XII. 15. nec non in Epiſt. Judæ v. 14. eveniſſe liqvet. Verùm ſi Prophetæ nomine qvemlibet Eccleſiæ Doctorem aut Scripturæ Interpretem, idoneâ rerum ſacrarum cognitione præditum, vel inſigni pietate conſpicuum, deſignari nil prohibet, qvomodo נביאים intelligendi videntur 2. Reg. XXIII. 2. Ezech. XXII. 25. 28. Neh. IX. 23. & ſæpiuſculè alias, qvomodo Abraham dicitur נביא Gen. XX. 7. atq; ipſe unà cum Iſaaco & Jacobo *Prophetæ Dei* 1. Chronic. XVI. 22. & Pſal. CV. 15. nuncupantur; nec qvicqvam pro-

Vocis Prophetæ ſignificatio & officium.

fectò

fectò repugnat, qvin idem titulus Ezræ noſtro, tanqvam eximio Eccleſiæ Doctori & fido Scripturarum Interpreti, tam ſacrâ eruditione, qvàm pietate & divino zelo maximè illuſtri, attribui qveat. Et hâc prorſus ratione vocem נביא interpretatur R. Sal. Jarchi ad Exod. VII. qvod nimirum כל לשון נביא אדם המכריז ומשמיע לעם דברי תוכחות i. e. *Prophetæ vocabulum ubiq; ſignificet hominem prædicantem & proponentem populo verba correctionis & objurgationis.* Atq; eodem modo nomen Προφήτης in N. T. uſurpari Matth. XXIII. 34. Luc. XI. 49. 1. Cor. XIV. 32. Apoc. XXII. 9. & verbum προφητεύειν Matth. VII. 22. Act. XIX. 6. 1. Cor. XIII. 9. XIV. 1. 3. 4. 5 31. nec non vocabulum προφητεία Rom. XII. 6. 1 Cor. XII. 10. XIII. 2. 8. 1. Theſſ. V. 20. Apoc. XI. 6. nempe de munere docendi Eccleſiam & divina oracula exponendi, ipſa locorum collatio ad oculum oſtendit.

XVI.

Qvinimò haut poſtremum Prophetæ officium exiſtit, librum ſacrum & Canonicum Deo inſpirante conſcribere, vel nudam ſaltem rerum ſuâ ætate geſtarum Hiſtoriam condere, qvod liqvet è 1. Chron. XXIX. 29. 2 Chron. XII. 15. XIII. 22. XXVI. 22. XXXII. 32. & è Joſephi verbis contra Apionem lib. 1. dum ait: *Prophetæ officium aliud.*

Οἱ δὲ ἡμέτεροι πρόγονοι τὴν αὐτὴν εἰ καὶ πλείω τῶν εἰρημένων ἐποιήσαντο τὴν περὶ τὰς ἀναγραφὰς ἐπιμέλειαν, τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς προφήταις τοῦτο προστάξαντες, i. e. *Majores noſtri eandem, vel etiam majorem, qvàm prædicti* (Ægyptii nimirum & Babylonii) *circa Hiſtorias conſcribendas ſolicitudinem adhibuerunt, Pontificib. & Prophetis id muneris imperantes.* Qvomodo etiam liber Hiſtoricus an̄ales Regni alicujus continens נבואה *Prophetia* appellatur 2. Chron. IX. 29. Atq; hoc ſenſu Ezra omninò *Prophetæ* nomenclaturam jure ſibi vendicat, qvam IV. liber Ezræ Apocryph. ipſi aſſignat in frontiſpicio, nec non Lactant. Inſtit. Div. l. IV. c. II. Neqve verò illud prætermittendum, qvod vox נביא ſæpiſſimè in Targum reddatur per vocem ספרא, uti Elias Levita in ſuo *Tisbi* & Val. Schindlerus obſervarunt. Adeoq; exiguo admodum intervallo duo iſta Prophetarum & Scribarum munia olim à ſe invicem diſtabant. Taceo qvod R. Jehuda in libro *Coſri* pag. 15. deſcribat Prophetarum munus, qvod ſint כמו היועצים החכמים המזהירים האומה והמזכירים והכותבים והם ראש האומה i. e. *qva-*

ſi Con-

ſi Conſiliarii ſapientes, exhortantes populum, & qvaſi à commentariis, & Scriptores, (ſc. rerum Hiſtoricarum) *atq́ ipſi ſint primores in populo.* Præterea qvoq́; R. Moſis Maimonidis ſententiam in *More Nevochim* P.II. c.45. qvi inter *undecim gradus Prophetiæ*, qvos recenſet, primo loco ponit illum, qvô qvis *auxilio Divino ita inſtructus eſt, ut eo moveatur ac animetur ad magnum & heroicum aliqvod facinus perpetrandum, ut vel ad Eccleſiam totam, vel inſignem aliqvem hominem à vi & Tyrannide improborum liberandum, vel ad beneficium ingens ſocietati cuidam præſtandum.* Deinde proximum huic gradum facit, cum *homo facultate qvâdam in ſe exortâ impellitur ad loqvendum, vel de ſcientiis & artibus, vel Pſalmos & Hymnos, vel ſalutaria recte vivendi præcepta, vel res civiles, vel deniq́ divinas, & qvidem inter vigilandum ac in vigore ſenſuum ordinario.* Et huc refert Pſalmos à Davide, libellos ſacros à Salomone, & Hagiographos ab aliis per afflatum Spiritus S. ſcriptos. Qvamcunq́; enim ex hiſce Prophetici tituli rationibus elegeris, perſpicies procul dubio iſtum haut injuriâ Ezræ noſtro deferri.

XVII.

An Ezra Scripturam S. deperditā reſtituerit?

Omnes ſacrarum literarum codices, omniaq́; eorum exemplaria in primo Urbis & Templi Jeruſolymitani excidio flammis abſumpta & in favillas redacta fuiſſe, atq́; demum poſt ſolutam captivitatem Babylonicam miraculosâ EZRÆ noſtri operâ denuo dictata & reſtituta fuiſſe, non pauci ex Eruditis hactenus crediderunt. Id enim è Patribus voluiſſe nonnullis videntur Irenæus adv.Hær.l.3.c.25. Tertullian.in de Hab.Mul.c.3. Euſeb.Hiſt. Eccl.V.8. Clemens Alexandr. Strom.I. Hieronymus contra Helvidium, Baſilius Epiſt. ad Chilonem, & Iſidorus Orig.VI.3. qvanqvam illorum verba non incommodè de iſto Ezræ labore intelligi qveant, qvô is ſacra monumenta temporum vitio corrupta emendavit, atq́; indigeſta priùs in certum ordinem redegit, qvod mox clariùs docebimus. Diſertis a. verbis iſtam opinionem ſuam fecere Leo Caſtrius Præf. in Eſa.c.4. Svidas in voce Ἔσδρας, Galatinus de A.C.V. l.I.c.1. Lyra in Ezr. VII. Alf. de Toſtato in 2. Paral. VIII. Sixt. Sen. Bibl.l.2.tit.*Esdras*, Ant.Poſſev.in Appar.v.*Esdras*, Wower. Synt.de Gr. & Lat. Bibl.Verſ. pag.75. & Alf. Salmeron T.1. com.Evang.Proleg.IV.& IX. qvi *communem Doctorum opinionem*

Qvinam illud afferant?

hanc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

hanc vocat. Et Bonfrerius qvidem Jeſuita in Præloq ad Script. Sac. c. VI. ſect. 8. hanc *ſententiam ob tam illuſtrium virorum autoritatem non parum veriſimilitudinis habere* judicat, qvanqvam ipſe diverſam *Recentiorum* ceu veriorem iſti præferat. His adde ὁμοψήφȣς *Elmacinum* Hiſtoriographum Arabem Chriſtianum, ipſumq; Pſeudoprophetam Muhammeden, atq; *Ahmedum ben Edris* Arabem, qvos allegat Hottingerus Theſ. Philol. p. 112. ſeq. Præcipuum verò hujus opinionis fulcrum habetur apocryphum illud Pſeud-Ezræ teſtimonium, qvod extat lib. IV. Ezræ c. XIV. v. 21. & ſeqq. qvod tamen potiùs malè ſanum febricitantis alicujus impoſtoris, Rabbini vel Talmudiſtæ, inſomnium aut commentum, qvàm vera θεοπνέυςȣ Scriptoris narratio, æſtimari meretur. Totus qvippe iſte liber Ezræ qvartus, qvi nec Ebraicè nec Græcè reperitur, multas verò fabulas Talmudicas & Cabaliſticas continet, judice Bellarmino, extra Canonicæ Scripturæ fines ab universâ Eccleſiâ, etiam Pontificiâ, proſcriptus & velut ψευδεπίγραφος damnatus eſt. Vehementer autem fallitur Optatus Milevitanus, qvi lib. VII. contra Parmenianum aſſerit, omnes ſacros libros ab Antiocho, qvos à Judæis acceperat, fuiſſe exuſtos, & deinde ab Ezra ex memoria reſtitutos. Neutrum enim horum verum eſt. Nam nec omnes ſacri codices ab Antiocho comburi potuere: nec ſi combuſti fuiſſent, eos Ezræ reſtituere licuiſſet, qvi aliqvot ſeculis Antiochum anteceſſit.

XVIII.

Cæterùm qvis credat, univerſos ſacrorum monumentorum codices ita in Jeruſolymitana clade periiſſe, ut nulli eorum ſævas Chaldæorum victorum manus evaſerint? An probabile eſt, unà cum iſtis ſacris libris, qvos Templi ruina & incendium abſumpſit, omnia ſimul Sacroſancti Canonis exemplaria, qvæ magno numero à Sacerdotibus, Prophetis, aliisq; privatim cuſtodiebantur, prorſus interiiſſe? Qvis ſibi perſuadebit, gentem patriæ religionis & divinorum Codicum tenaciſſimam cuſtodem, eò incuriæ & ſocordiæ prolapſam eſſe, ut ſacras tabulas, qvas intra lares ſuos domeſticos, veluti pretioſiſſimum theſaurum, ſervabat, ab interitu vindicare neglexerit? Indignum certè foret ſanctorum hominum iſtius ævi pietate, & grave ſupinæ negligentiæ crimen illis meritò impingeretur, ſi cimelium iſtud

Probatur non periiſſe libros ſacros.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

ſibi è manibus eripi ſiviſſent? Sed nec ullo certo documento oſtendi poteſt, Chaldæos victores eâ rabie ſacrarum literarum exitium qvæſiviſſe, qvin illam Judæis victis negotio non admodum difficili declinare licuiſſet. Cum Hiſtoria Sacra 2. Reg. XXV. 2. Paral. XXXVI. nec non Jeremias c. LII. omnia præcipua recenſeat, qvæ à Chaldæis exuſta, deſtructa, vel Babylonem deportata fuere, nullo tamen apice Sacrorum Codicum meminit, qvorum profectò jacturam, qvâ nulla major eſſe potuit, non tacuiſſet, ſi ea reliqvæ cladi fuiſſet involuta. Nec voluiſſe Chaldæos omnia ſacra monumenta abolere, ullus è ſacris Scriptoribus vel minimo indicio docet: nec potuiſſe eos, ſi voluiſſent, id præſtare, rationi conſentaneum eſt Nunqvam eo furore in libros ſacros graſſatus perhibetur Nebucadnezar, qvalem in Antiocho deſcribit Autor lib. I. Maccab. c. I. v. 59. & 60. nempe *qvod libros legis, qvoscunq; invenit, ſciderit & combuſſerit igni, & apud qvemcunq; reperiebatur liber Teſtamenti, is juxta edictum Regis occiſus ſit.* Nec Chaldæorum Regi usqvam tanta rabies tribuitur, qvanta fuit Diocletiani & qvorundam aliorum Imperatorum in veteres Chriſtianos, qvibus ut ſacros codices comburendos eriperent & extorqverent, exqviſitiſſimis cruciatibus omniq; crudelium ſuppliciorum genere in eos ſævierunt, teſte Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ. Sed neq; iſti Tyranni omni ſuo & miniſtrorum ſagacium conatu, qvantumvis rabido & violento, id impetrare valuerunt, ut univerſæ ſacrarum literarum tabulæ abolerentur. Obſtabat namq; provida ſummi Numinis cura, & maſcula ac laudabilis piorum hominum conſtantia. Non id obtinuit Antiochus, cum ſtatim 1. Maccab. III. 48. libri legis in publico Judæorum conventu expanſi commemorentur. Nec id effecit Imperatorum Romanorum violentia. Nam Chriſtiani, qvanqvam rigidis inqviſitionibus paſſim per provincias urgerentur, ut libros ſacros traderent, heroico tamen animorum robore maximam partem reluctati ſunt, nullâq; tormentorum formidine perculſi, mortem ultrò oppetierunt, qvò ſacros codices ſervarent. E contrario, qvi cruciatuum atrocitate victi eundem theſaurum Paganis exhibuerunt corrumpendum, infami vocabulo TRADITORES à cæteris ſunt appellati. Vide Baronium & Spondanum in Annal. ad Annos Chr. 302. 303. 306. &

Codices ſacri non potuêre penitus aboleri.

314.

314. item Lud. de la Cerda Adverſ. Sacr. c. 35. n. 3. Qvis itaq; ullâ cum veri ſpecie aſſeruerit, Chaldæorum rabiem, qvam parem fuiſſe nusqvam docetur, tantum damni dare potuiſſe?

XIX.

Ulteriùs probatur, non interiiſſe univerſa ſacra monumẽta.

Porrò ſi Nebucadnetzar victor certò decreviſſet ſacros libros flammis devovere, efficere illud forſitan potuiſſet in iſtis codicibus, qvos tum invenit Hieroſolymis inq; aliis Judaicæ terræ locis. Dubium verò non eſt, qvin in prima Iſraëlitarum transmigratione, qvâ in Aſſyriam à Salmanaſſare ſunt deportati, perpetuâ ibi captivitate coërcendi 2. Reg. XVII. 18. ſeqq. Tob. I. 1. nec non in priore Judæorum deportatione Babylonicâ, factâ ſub Jechonia Rege 2. Reg. XXIV. 14. ſeqq. qvæ benignior fuit alterâ, haut pauca divinæ Scripturæ exemplaria à compluribus piis & fidelibus, qvi exilii ſocii fuere, in varias iſtas regiones fuerint abducta & diſtracta, qvæ unà cum reliqvis à Nebucadnetzare & Chaldæis aboleri neqvaqvam potuerunt. In eorum enim poteſtate minimè fuit ſitum, ſacros codices unà cum Judæis, acerrimis legis ſuæ defenſoribus, variorum dominio ſubjectis, per Orientem & Aqvilonem latè diſperſos, univerſos exitio tradere. Certè nec id de Divinâ Providentiâ ſuſpicari fas eſt, qvod ea permiſerit Eccleſiam theſauro iſto ſemel ſibi conceſſo, ſive per Judæorum ignaviam, ſive per hoſtium malitiam, penitus ſpoliari. Durante ipsâ Babylonicâ captivitate, Daniel Propheta multis annis ante Scripturam ab Ezra reſtauratam ſe ſacra monumenta legiſſe, & numerum annorum calamitatis à Deo Jeremiæ revelatum intellexiſſe profitetur c. IX. 2. Qvin & Joſephus Antiq. XI. 1. diſertis verbis teſtatur, Cyrum Regem legiſſe librum Eſaiæ Prophetæ, & vaticinium de ſuâ perſonâ ducentis & decem annis ante ſuam ætatem ab ipſo editum cognoviſſe, eôq; lectô Regem Vatis divinitatem admiratum, & cupidine exſeqvendi ea, qvæ ſcripta fuerant, correptum, edictum illud promulgaſſe de Judæis è captivitate dimittendis, cujus meminit Ezra noſter c. I. *Si* itaq; lectus fuit Cyro liber Eſaiæ ante ſolutam αἰχμαλωσίαν, utiq; ille cum reliqvis omnib⁹ ſacris concrematus haut fuit. Hinc nemo ex Ebræis probatæ fidei Scriptor de iſtâ Scripturarum clade & reſtitutione per Ezram factâ teſtimonium perhibet. Nemo qvoqvè Patrum id rotundâ oratione comprobavit. Contrarium verò

unanimi conſenſu tuentur Pontificii alii, ſuisq; ſe opponunt tribulibus, Cardinales duo, Bellarminus de Verb. Dei l. 2. c. 1. ejusqvè hyperaſpiſtes Gretſerus in h. l. & Baronius Tom. I. Annal. p. 250. item Genebrardus Chronol. lib. 2. Pererius Præfat. in Geneſ. n. 7. ſeqq. Serarius Proleg. Bibl. c. 12. qv. 1. Sanctius Proleg. in Ezram, Salianus & Spondanus ad A. M. 3447. Cornel. à Lapide Prol. in Ezram, Jo. Euſeb. Nierembergius de Orig. Script. l. IX. c. 28. 29. & Jac. Bonfrerius ſupra allegatus. Cum his conferantur noſter Gerhardus in Exeg. Art. I. de Script. §. III. ſeqq. & Rivetus in Cathol. Orthod. Tr. I. qv. 1. §. 6. 7.

XX.

Qvid Ezra præſtiterit circa S. Scripturam?

Interim haut diffitemur, præterqvam qvod ipſa Moſis & θεοπνεύςων Scriptorum aliorum autographa, unà cum ipsâ arcâ cæterisq; Templi ornamentis in Sanctuario repoſita, incendio abſumpta eſſe videantur, etiam apographa & exemplaria Sacrarum literarum in privatorum hominum uſum tranſſcripta nonnihil damni in diuturna & ærumnoſa iſta captivitate fuiſſe paſſa. Irrepſerunt proculdubio in plurimos codices menda & vitia, adeò ut ii temporis iſtius injuriâ & librariorum incuriâ variis modis fœdati & mutilati fuerint. Deinde nec Scripta ψευδεπίγραφα defuerunt, qvæ inter Judæos non ſine ingenti veræ religionis diſcrimine ſe inſinuarunt: vice versâ genuina qvædam & Canonica monumenta è laceratis libris deperdita fuere, & ordo Divinorum Scriptorum non parum confuſus. Hiſce verò incommodis medicam manum adhibuiſſe Ezram, & utilem ac ſalutarem ſacris literis operam navaſſe, ultrò concedimus. Ipſe enim non ſine divino afflatu, cum ſociis, viris divinis Synagogæ magnæ, ſacroſanctas tabulas à corruptelis emendavit, Apocrypha & ſuppoſititia à Canonicis ſegregavit, genuinos Spiritus Sancti fœtus in unum corpus collegit & in decentem ordinem redegit, atq; ita S Scripturam diverſis modis antea deformatam priſtino nitori & integritati reſtituit. Et hæc qvidem eſt illa decantata Ezræ circa ſacros libros opera, qvam tota ferè Antiqvitas, tam Chriſtianorum Patrum, qvàm Ebræorum, tantopere commendat. Sic

Patrum hâc de re judicia.

Athanaſius in Synopſi S. Script. pag. 86. edit. Pariſ. Ἱςορεῖται δὲ τοῦτο περὶ τοῦ Ἔσδρα, ὅτι ἀπολομένων τῶν βιβλίων, ἐξ ἀμελείας τῶν λαῶν, καὶ διὰ τὴν πολυχρόνιον αἰχμαλωσίαν, αὐτὸς Ἔσδρας ἐφύλαξε

ἐφύλαξε πάντα καθ' ἑαυτὸν, καὶ λοιπὸν προσήνεγκε, καὶ πᾶσιν ἐκδέδωκε, καὶ οὕτως διασώζεται τὰ βίβλια. Sic Chryſoſtomus Hom. VIII. in Epiſt. ad Ebr. Ἐνεπρήσθησαν αἱ βίβλοι, ἑτέρῳ πάλιν ἀνδρὶ θαυμαστῷ ἐνέπνευσεν ὁ θεὸς, ὥστε αὐτὰς ἐκθέσθαι, τῷ Ἔσδρᾳ λέγω, καὶ ἀπὸ λειψάνων συντεθῆναι ἐποίησε. Sic Theodoretus Præf. in Pſalm. *Admirandus Ezras plenus cœleſti gratiâ ſacros libros deſcripſit, præ Judæorum incuriâ & ob Babyloniorum impietatem jam olim depravatos, & inſtinctu Spiritus S. horum librorum renovavit memoriam.* Sic deniq; Hilarius Præf. in Pſal. *Eſdram omnes Pſalmos collegiſſe, & ex eis unum librum confeciſſe*, aſſerit.

XXI.

Atq; hoc omninò ſenſu reliqvorum Patrum, qvos ſupra th. XVII. allegavimus, verba accipienda & exponenda veniunt. Nihil aliud in animo habuit Irenæus, nec Euſebius, qvi ipſius verba repetit, dum ajunt: *In captivitate populi, quæ facta eſt à Nabuchodonoſor, corruptis Scripturis, poſt deinde temporibus Artaxerxis inſpiravit Deus Heſdræ Sacerdoti, Prophetarum omnes rememorare ſermones, & reſtituere populo eam legem, quæ data eſſet per Moyſen.* Idem voluit Tertullianus his verbis: *Et Hieruſolymis Babyloniâ expugnatione deletis, omne inſtrumentum Judaicæ literaturæ per Eſdram conſtat reſtauratum.* Item Hieronymus: *Sive Moſen dicere volueris auctorem Pentateuchi, ſive Eſdram ejusdem inſtauratorem operis, non recuſo.* Eadem mens fuit Clementi Alexandr. dicenti: *Per Eſdram facta eſt populi redemptio*, καὶ ὁ τῶν θεοπνεύστων ἀναγνωρισμὸς καὶ ἀνακαινισμὸς λογίων, *& divinitùs inſpiratorum eloqviorum recenſio & renovatio.* Nec alia Baſilio, qvi *Eſdram omnes divinos libros ex mandato Dei eructaſſe* ait. Qvin & Iſidoro Hiſpalenſi, dum inqvit: *Eſdras Scriba poſt incenſam legem à Chaldæis, dum Judæi regreſſi fuiſſent in Hieruſalem, divino afflatus ſpiritu reparavit, cunctaq; legis ac Prophetarum volumina, quæ fuerunt à gentibus corrupta, correxit, totumq; Vetus Teſtam. in XXII. libros conſtituit, ut tot libri eſſent in lege, quot & literæ habebantur.* En ut venerandi Patres, qvanqvam ab aliis in adverſam partem inviti pertrahantur, pro nobis tamen disertè pronuncient.

Cæterorum Patrum verba eodem ſenſu explicantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

Judæi cum Patribus cō-ſentiunt.

Cum illis autem Chriſtianis probè conſentiunt Judæorum Magiſtri. R. David Kimchius in Procem. ad Prophetas priores, & primum horum Joſvam, ita loqvitur: בגלות הראשונה אבדו הספרים ונטלטלו והחכמים יודעי התורה מתו ואנשי כנסת הגדולה שהחזירו התורה ליושנה מצאו מחלוקת בספרים והלכו בהם אחר הרוב וגו׳ i.e. *In captivitate prima perierunt libri* (qvidam ſacri) *& ablati fuere, & Sapientes periti legis mortui ſunt; viri autem Synagogæ magnæ, qvi legem priſtino nitori reſtituerunt, invenerunt diſsenſionem in codicibus, & ſecuti ſunt lectionem, qvam plures habuerunt.* R. Abarbinel in Præf. libri ſupra citati ait: אנשי כנסת הגדולה נקראו כן לפי שנתקבצו לתקן תקנות ראויות להישיר את העם ולהחזיק את בדק התורה i. e. *Viri Synedrii magni* (qvorum Præſes Ezra) *appellati ſunt ſic, qvia congregati fuere ad ordinandas conſtitutiones dignas, ad rectè dirigendum populum, & ad reſtaurandam rupturam Legis.* Idem eſt qvod dicitur in Talm. Jeruſol. lib. *Megilla* c. 3. qvod illi ipſi החזירו הגדולה ליושנה *repoſuerunt magnificentiam* (Legis) *in antiqvum ſtatum.* R. Jacob ben Chajim in Præf. in Bibl. magna ait: ואלולי אנשי כנסת הגדולה שהחזירו העטרה ליושנה כדכתיב וַיִּקְרְאוּ בַסֵּפֶר בְּתוֹרַת הָאֱלֹהִים וגו׳ היינו הולכים כסומים וכמוכים בסנורים ולא היה נמצא לנו ספר שיהיה מוגה ולא ס״ת שנוכל להסמך עליו i.e. *Niſi fuiſsent viri S. M. qvi repurgarunt coronam* (Legis) *ſicut ſcriptum eſt* (ſc. Nehem. VIII. 8.) *fuiſſemus ambulantes ſicut cœci & qvaſi percuſſi ſcotomate, nec fuiſset repertus nobis aliqvis liber correctus, neq; liber legis cui inniti & fidere poſſemus.* Elias Levita in Præfat. I. Rhyth. lib. *Maſoreth* de Ezra ita canit:

Appoſuit ingenium, intellexit Scriptutam,	שום שכל הבין במקרא
	בכתיבה זו המאושרת
In libro hoc ſacrato,	קוצים כלה מכל מלה
Spinas ſuſtulit ex omni dictione,	
Reddidit priſco nitori coronam.	החזיר אל יושנה העטרת

Idem in Præf. III ejusd. lib. inqvit: הם העמידו את התורה והמקרא על עבדם ובלי ספק לולי באו כבר כלתה החררה ונעשית התורה כשתי תורות ולא היו שני ספרי המקרא שהיו מסכימים יחד i. e. *Illi* (viri S. M.) *redegerunt legem & totam Scripturam in formam*

ſuam

ſuam ſtabilem, & ſine dubio niſi ipſi veniſſet, jam conſumpta eſſet placenta, & facta fuiſſet Lex qvaſi duæ leges, nec eſſent duo libri inter omnes Scripturæ codices, qvi inter ſe concordarent. R. Ephodæus loco ſupra th. XII. allegato ita ſcribit: עזרא הכהן והסופר נער חצנו ושם כל מאמצי כחו לתקן המעות וכן עשו כל הסופרים הבאים אחריו ותקנו הספרים ההם בתכלית מה שאפשר וג״ i. e. *Ezra Sacerdos & Scriba excuſſit gremium ſuum & adhibuit omnes nervos virium ſuarum, ut corrigeret qvod erat perverſum: Idem fecere omnes Scribæ, qvi ipſum ſecuti ſunt, & correxerunt libros iſtos perfectè, qvantum poſſibile fuit &c.* Atq; hinc proculdubio orta eſt fictitia illa Ezræ ἀποθέωσις, qvam in Alcorano inculcat impoſtor Muhammedes, nempe qvod *ſecundùm Judæos Ezra*, qvem corruptè pro more ſuo vocat *Ozair*, ſit *filius Dei*, idq; eâ de causâ, qvod *cum Deus legem Judæis ademiſſet, & è cordibus eorum delevissſet, propterea qvòd illi Prophetas poſt Moſen occiderant, tum prodiit Ezra juvenis, hinc inde in terra oberrans, cui occurrens Gabriel dixit, qvò vadis? Scientiam qvæſitum, reſpondit ille: & tradidit ei Angelus Legem, qvam is Lingvâ ſuâ ita exponebat exactè, ut ne vocula qvidem deeſſet. Hinc dixerunt, qvomodo Deus congeſſit Legem in pectore ejus, cùm ſit famulus? Utiq; eſt filius Dei.* Vide Hotting. Theſ. Philol. p. 113. *Ezra ἀποθέωσις cõficta.*

XXIII.

Antiqvas & primogenias Ebræorum literas ab Ezra noſtro fuiſſe abrogatas, eq; Judæorum uſu abolitas & Samaritanis relictas; novas verò, qvibus hodiè utimur, qvasq; hodierni V. T. codices ſacri, tam exarati qvàm impreſſi, exhibent, ab eodem in illarum locum introductas fuiſſe, ſive ab ipſomet confictas, ſive ab Aſſyriis vel Chaldæis mutuò acceptas, non pauci ex Eruditis qvaſi conjuratione factâ exiſtimant. Eam enim opinionem amplexi ſunt Hieronymus in Prol. Gal. Euſebius in Chron. Beda in Ezr. IX. Scaliger in Animadv. ad Euſeb. & Epiſt. l. III. Ep. 242. Genebrardus Chronol lib. II. Ar. Montanus lib. de Menſuris, Polydorus Vergil. de Rer. Invent. Cornel. Agrippa Occ. Philoſ. l. III. c. 30. Pradus in Ezech. Villalpandus Appar. Urb. & Templi T. 3. p. 2. l. 2. diſp. 4. cap. 20. & 21. Bonfrerius ad Gen. XI. 1. item Sixt Senenſis, Bellarminus, Salianus, C. Sanctius, Corn. à Lapide & Nierenbergius locis ſupra allegatis. Conſenſum præbuere Phi- *An Ezra novas literas Ebraicas introduxerit, antiqvis abrogatis.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

re Philologi nonnulli haut contemnendi, Druſius ad LL. Diff. Exod. c. 56. Waſerus de Nummis Ebr. Caſaubonus Exerc. XVI. §. 78. Lud. Capellus in Arc. Punct. Rev. l. I. c. 6. Jo. Morinus Exer. II. in Pentat Samar. c. 1. & 2. Barth. Mayerus Phil. Sacr. P. II. p. 129. ſeqq Ger. Jo. Voſſius de Art. Gram. l. I. c. 9. ac 31. & H. Grotius Annot. ad Matth. V. 18. Verùm nec ulla certa ac indubitata Scripturæ autoritas, nec ulla evidens ratio, nec ullum fide admodùm dignum teſtimonium, illos in iſtam opinionem induxit. Qvæcunq; enim momenta illi pro ſuâ ſententiâ ſtabiliendâ attulere, ea omnia ſolidè ac eruditè à maximo ſeculi noſtri Ebraiſta Joh. Buxtorfio Fil. in Diſſert. Pecul. de Liter. Ebr. ſunt confutata, adeò ut poſt tam amplam ſedulamq; meſſem ne ſpicilegium qvidem nobis ſit relictum. Hunc itaq; conſulant, qvibus volupe eſt.

Nos illud negamus. Nos certè contrariam priori aſſertionem tueri haut dubitamus, nimirum qvod hodiernæ literæ Ebraicæ, qvæ in noſtris codicibus Veteris Fœderis Ebræis extant, eædem ſint qvoad formam & ductus cum priſcis ac vetuſtiſſimis illis, qvas ipſe Dei digitus in tabulis Legis lapideis Moſi traditis conſecravit, qvas Moſes & divini V. T. Scriptores alii in θεοπνεύστοις monumentis conſignandis adhibuere, qvasq; antiqva Ebræorum gens priſcis ante captivitatem Babylon. temporibus uſurpavit: illas verò ab Ezra noſtro fuiſſe inventas vel introductas intrepidi pernegamus.

XXIV.

Probatur hodiernas & priſcas Ebræorum literas eaſdem eſſe. *I. Ratio.* Huic ſententiæ ut haut cunctanter accedamus, efficiunt rationes, qvas in compendium redactas ſubjungemus. I. Qvia de iſta Literarum permutatione, qvâ antiqvæ Scripturæ, ſi DIS placet, Samaritanæ, nova hæc, qvam אשורית i. e. *Aſſyriacam* & מרבעת i e. *qvadratam* vocant, ſucceſſiſſe fingitur, univerſa ſacra monumenta tacent, ut & Joſephus diligens aliàs & accuratiſſimus rerum Judaicarum Scriptor, à qvibus illa, tanqvam res ἀξιομνημόνευτος, neutiqvam fuiſſet ſilentio involuta. Qui enim è S. literis huc allegant vel Hiſtoriam 2. Reg. XVII. 25. ſeqq. deſcriptam, vel verba מִשְׁנֵה הַתּוֹרָה Deut. XVII. 18. vel voces סֵפֶר וּלְשׁוֹן כַּשְׂדִּים Dan. I. 4. vel deniq; locum Dan. V. 8. immane qvantum hallucinantur, ſive per ἀσυλλογιστίαν, ſive per ψευδερμηνείαν.

II. Ratio. II. Qvia vero ſimile non eſt, qvod Judaicus populus, cujus circa textum ſacrum incredibilis religio, & inſignis circa

con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

conſervationem rerum ſacrarum & ad gloriam gentis ſuæ pertinentium pervicacia, apud Philonem l. de Exit. Iſr. ex Ægypt. Joſephum lib. I. cont. Apionem, Euſebium Præp. Evang. VIII. 2. Schickardum in *Bechin. Happer.* Diſp. I. §. 4. & Glaſſium Philol. S. l. I. tr. 1. p. 24. ſatis eſt decantata, unqvam paſſurus fuiſſet, Scripturam ſuam antiqviſſimam, ipſis Dei digitis & Moſis ac Prophetarum autographis conſecratam, totq; ſeculis cimelii inſtar ſervatam, ſibi ab Ezra eripi, ac Samariticæ genti, inviſæ ſemper & inimicæ ſibi, tradi atq; relinqvi. III. Qvia nulla prægnans ratio ad novandam literaturam Judæos impellere potuit. Qvanqvam enim odio plusqvam Vatiniano à Samaritis diſſiderent Judæi, nunqvam tamen hi traditionum ſacrarum tenaciſſimi in iſtorum tenebrionum gratiam, qvos perpetuò contemnebant, divinas ſuas literas amitterent, qvò ſcilicet nihil cum ipſis commune in poſterum haberent. Aliàs cur non ante deportationem Babylonicam id factum fuiſſet, cùm eadem cauſa tunc æqvè urgeret? Nec ob nativæ orthographiæ oblivionem id factum eſt, cùm tantam eam, poſt ſolutam captivitatem, in Judaico populo, haut fuiſſe, è Nehem. VIII. 3. 7. 8. liqveat. IV. Qvia Ezra nec potuit nec voluit Scripturam veterem immutare. Non potuit profectò Ezra omnia Exemplaria veteris literaturæ, qvæ paſſim penes Judæos in varias tum orbis partes diſperſos extabant, abrogare, & literas abolere, qvæ in plurimis Judæorum Scholis & Academiis, tam in Babylonia qvàm in Palæſtina, cum veneratione uſurpabantur, qvò novæ ſubſtituerentur. *Numeroſiſſima Judæorum gens, longè lateq; diſſeminata, faciliùs potuit characteres ſuos ſartos tectosq; conſervare, qvàm popellus exiguus in angulum oppidò anguſtum concluſus: Qvis enim neſcit parvæ lacunæ aqvam multò citiùs corrumpi, qvàm ingentis piſcinæ?* inqvit rectè doctiſſimus Fullerus Miſcell. IV. 4. Nec voluit ſine dubio id Ezra efficere, qvantumvis valuiſſet, qvippe qvi non minùs circa Lingvæ & literaturæ ſanctæ integritatem conſervandam religioſus fuiſſe putandus eſt, qvàm Nehemias ſocius ipſius, cujus inſignis hâc in parte zelus ab ipſomet deſcribitur c. XIII. v. 24. 25. V. Qvia in verbis Chriſti Matth. V. 18. litera *Jod*, qvæ Ἰῶτα ibi vocatur, tanqvam minimum inter omnia elementa, qvibus lex conſignàta eſt, nullâ unqvam vel minimâ ſui parte interitura,

III. Ratio. *IV. Ratio.* *V. Ratio.*

com-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

commemoratur. Atqvi ſolis hodiernis Ebraicis literis id congruit, qvod *Jod* omnium earum minima ſit. E contrario Jod Samaritanum, qvod hanc formam habet ࠉ neutiqvam minimum Alphabeti Samaritici elementum exiſtit. Ergo Eberini Characteres, qvos hodie habemus, illi ipſi ſunt, qvibus Lex antiqvitus exarata fuit. VI. Qvia ex adverſâ ſententiâ ſe-

VI. Ratio. qveretur, in extraordinariâ illâ ſcriptione literæ *mem* finalis in medio vocis לםרבה Eſa. IX. 7. fruſtra ab Interpretibus hactenus myſterium qvæſitum eſſe. Cum enim Samaritana literatura *Mem* finale ab initiali & medio diverſum haut agnoſcat, ſed eam literam ubiq; hâc figurâ ࠌ exprimat, utiq; Propheta ipſe, ſi Samaritanis characteribus uſus fuit, iſtud Mem finale non adhibuit. Si verò Eſaias eo modo haut ſcripſit, dicendum eſt, aut Ezram Prophetæ ſcriptionem ſtudiô immutaſſe, ut nova myſteria alieno vaticinio inferret, qvod incredibile eſt, aut falli omnes eos, tam Judæos qvàm Chriſtianos, Interpretes, qvi myſticum ex hâc literâ ſenſum elicuerunt. Qvod ſi autem non præter rationem μυστηριῶδές τι ſubeſſe arbitrati ſunt illi, Eſaiam omninò eam literam adſcripſiſſe oportet, adeoq; eandem una cum cæteris Eberinis in ſacris codicibus ante Ezram fuiſſe reper-

VII. Ratio. tam. VII. Qvia literæ qvadratæ hodiernæ ſimpliciores ſunt minusq; operoſæ qvoad figuram & ductus, qvàm Samaritanæ, adeoq; majorem vetuſtatis & Majeſtatis ſpeciem præ ſe ferunt. Eleganter Schickardus in בח״ה p. 82. ſcribit: *Ipſa qvadrata literarum pictura, utpote ſibi conſtans, æqvabilis, facilis & in decoram lineam coagmentabilis, vocis inſuper formatricum organorum diſpoſitionem qvodammodo referens, adeoq; ipſo aſpectu reconditam qvandam majeſtatem præ ſe ferens, potius Legislatori ſapientiſſimo convenire videtur, qvàm hæc* (Samaritana) *hiulca, deformis, aſpera, operoſa & exaratu difficilis, adeoq;, ut ex omnibus circumſtantiis apparet, factitia.* Egregiè qvoq; Crineſius de Confuſ. Ling. p. 25. ait: *Monſtriferæ literarum* (Samariticarum) *formæ videntur non levem injuriam inferre ſapientiſſimo Dei digito bis Legem ſuam tabulis lapideis inſcribenti*, &c. *Tandem ipſi characteres Samaritici ortus ſui principium videntur agnoſcere partim Ebræam partim Scripturam Syriſcam, eamq; utramq;, interdum*

qvibus-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

quibusdam virgulis vel additis, vel longiùs extenſis, inciſis, inverſis, abſciſſis, vel etiam nonnullis literis transpoſitis, &c. idq; mox p. 27. ex manifeſtâ qvintuplicis Alphabeti oppoſitione ad oculum oſtendit. VIII. Qvia genuinæ ſacrorum oraculorum autoritati ac majeſtati multum decederet, ſi illorum primogenia & antiqviſſima Scriptura in novam ab hominibus excogitatam transmutata crederetur. IX. Qvia hodiernæ literarum Ebraicarum formæ cum priſcis eorum nominibus optimè conveniunt, uti vel ex unius characteris ו figurâ, qvæ *uncinum*, nomine ſuo *Vau* deſignatum, benè repræſentat, manifeſtè liqvet. Unde R. Sal. Jarchi ad *Gemar. Sanhedr.* c. II. §. 13. argumentatur: כל אנקלאות הומין לווין אלמא בימי משה עשויין הווין כעין שלנו i. e. *Omnes uncini* (ſanctuarii) *ſimiles erant ſextæ literæ Vau, adeoq; tempore Moſis pingebatur eadem litera Vau, ſicut nobis ſcribitur*, nempe inſtar uncini. Tranſeo ipſorum adverſariorum diſſenſionem, qvæ ſententiæ illorum ruinam minitatur, dum qvidam literas hodiernas ab Ezra ipſo confictas volunt, ut Hieronymus, Corn. Agrippa, Villalpandus &c. alii verò complures ipſum è Chaldæâ Chaldaicas literas ſecum apportaſſe & in uſum Judæorum induxiſſe aſſerunt. Omitto deniq; ipſius Pentateuchi Samaritani, qvi à diſſentientibus ad cœlum usq; extollitur, οὐδένειαν, qvam luculenter demonſtravit doctiſſimus Hottingerus in Exercit. Anti-Morinianis.

VIII. Ratio.

IX. Ratio.

XXV.

Hiſce rationibus addimus paucula teſtimonia inartificialia, qvæ depromimus I. E veteribus nummis atq; Siclis Judaicis, qvi hodiernas literas Ebraicas exhibent. Tales Hieroſolymis effoſſos fuiſſe, & qvidem æneos, regno Iſraelitico adhuc integro procuIdubio procuſos, adeoq; Samaritanorum ortu & Ezræ ætate priores, *Salomonis Regis* vultum & nomen alterâ facie, alterâ verò *Templum*, oſtentantes, & utrinq; easdem cum hodiernis literas habentes, teſtatur Schickardus Diſſ. de Numm. Ebr. Conſimilem producit Waſerus de Num. Ebr. p. 72. qvi Regis David filiiq; ejus Salomonis nomina referebat, cum hâc inſcriptione ab unâ parte ירושלם עיר הקדש, ab alterâ verò hâc דוד המלך ובנו שלמה המלך. Fruſtra enim eſt Villalpandus, qvi ejusmodi Numiſmatum fidem ac vetuſtatem ſuſpectam reddere ſatagit. Non

Alia teſtimonia pro eâdem ſententiâ.

I. Sicli.

verò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

verò negamus, qvin Sicli etiam reperiantur, Samaritanis characteribus inſigniti, & antiqvi qvidem, ac ſtante templo primo in Judaica Republ. cuſi. Hos autem prioribus antiqviores eſſe, qvanqvam multi cenſeant, nullâ tamen idoneâ ratione perſvaderi poteſt. Fuit qvippe in priſco Judæorum uſu duplex ſcribendi character, *ſacer* nimirum ac *profanus*, ſive *publicus* & *privatus*. Planè ſicut triplicem Ægyptiis olim Scripturam uſitatam fuiſſe, nempe Ἐπιστολογραφικὴν, ἱερατικὴν & ἱερογλυφικὴν, è Clem. Alexandr. Strom. V. diſcimus. Prior Judæorum character qvadratus ille fuit, qvem etiamnum obtinemus, qvo Tabulæ legis divinitus ſcriptæ fuere, necnon codex Legis Moſaicus, qvi in Sanctuario repoſitus fuit. Alter eorum character כתב עברי i. e. *Scriptura transfluvialis* dicebatur, jamq; *Samaritanus* vocatur. Hôc reliqva Legis Exemplaria in privatum ſingulorum Judæorum uſum exarata fuere, tum & alia inſtrumenta, qvæ in civilibus negotiis ac contractibus ſcribi oportuit, nec non monetæ complures, qvæ in communem uſum cudebantur. Et ſicut duplices Sicli inter Judæos extitere, *ſacri* nimirum uſibus ſacris deſtinati, & *profani* qvi in civilibus commerciis valuere; ita duplice ſine dubio charactere iidem antiqvitus fuere inſcripti. Adeoq; nihil inde incommodi noſtræ ſententiæ metuendum.

II. Monumenta. II. Vetuſta Monumenta noſtrarum literarum antiqvitati teſtimonium perhibent. Autor enim eſt R. Benjamin Tudelenſis in Itinerar. ſe ſepulcra Patriarchalia inter peregrinandum vidiſſe, qvæ inſcripta fuere ejusmodi אתיות חקוקות h. e. *literis inſculptis*. Tale ſibi oſtenſum in regno Valentiæ profitetur R. Moſes Schem Tob in lib. מרפא לשון, qvod ſepulcrum credebatur Ducis cujusdam Regis Juda Amaziæ, hoc carmine Rhythmico inſignitum, שאו קינה בקול מרה לשר גדול לקחו יה, h. e. *tollite fletum, voce amarâ, Duci magno, qvem tulit Dominus* &c. qvæ cum legiſſet, alia occurrebant vetuſtate obliterata, qvæ oculis aſſeqvi non poterat, niſi qvòd in fine verſus ſecundi perciperet vocem לאמציה. Aliud ſimile Epitaphium Saguntinum Adonirami, miniſtri Regis Salomonis, cujus mentio fit 1. Reg. IV. 6. V. 14. commemorat Franc. Gonzaga de Orig. & Progr. Franciſc. Relig. P. III. p. 1262. his literis inſcriptum זה הוא קבר אדונירם עבד המלך שלמה אשר בא לגשת את המס ונפטר יום .... i. e. *hic tumulus eſt Adonirami*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

rami miniſtri Regis Salomonis, qvi venit ad exigendum tributum, & mortuus eſt die .... Qvæ ſeqvebantur, tempus edax rerum detriverat. Vide D. Dorſch. Theol. Zach. P. I. p. 38. Adde laminam auream in Cidari ſummi Pontificis V. T. de qvâ in Talmud tr. de Sabbato c. 6. אמר ר׳ אליעזר בר יוסי אני ראיתיו בעיר אחת וכתוב קודש ליי בשיטה אחת h. e. *Dixit R. Eliezer F. Joſe, ego vidi eam in urbe qvâdam* (nempe *Romæ*, ut alibi legitur) *& ſcriptum erat*, קדש ליי *ſanctitas Domini, in lineâ unâ.*

III. Allegamus autoritatem magnorum virorum, qvi pro genuinâ noſtrarum literarum antiqvitate confidenter pronunciarunt, ut B. Lutheri Præf. in Eſaiam, Jo. Pici Mirandulani in Epiſt., Guil. Poſtelli (qvanqvam is à Scaligero in adverſæ opinionis conſortium invitus rapiatur) lib. de Originib. c. 5. Cæſ. Baronii Annal. Eccleſ. T. II., Aug. Sebaſt. Nouzeni de Prim. Ebr. Serm. Lect., M. Marini Brixiani in *Arca Noë* ab initio, Theod. Bibliandri in de Opt. Genere Grammat. Ebr. & de Comm. Rat. Lingv., Fr. Junii ad Bellarm. de V. D. lib. II. cap 1. Nic. Fulleri Miſc. IV. 4. Polani in Ezech. IX. Wilh. Schickardi in בה p. 82. & in מה pag. 39. 40., Hug. Broughtoni in Conc. S. Script. pag. 126. Chriſt. Crineſii in בבל p. 20. ſeqq. &c. Taceo Judæorum Magiſtros, qvorum ſuffragia magno numero videri poſſunt, apud Cl. Buxtorfium diſſert. ſup. alleg. Conſulantur præterea Theologi noſtri Gerhardus Exeg. de S. Script. §. 115. 116. Brochmannus in Loc. de Script. c. II. qvæſt. 8. atq; alii, imprimis verô celeberrimi Bangii noſtri Diſſert. de Lit. Ebr. contra Scaligerum. Id tantùm monemus, priusqvàm hinc abeamus, nos faciles largiri, qvòd id effeciſſe potuerit Ezra circa ſacram literaturam, ut cùm ante ipſius ætatem Judæi religione & ſingulari veneratione prohibiti fuerint, ne ſacro & qvadrato charactere uterentur ad ſacrorum codicum exemplaria in privatum uſum deſcribenda; Ezra demum ſolutâ captivitate hunc ſcrupulum iis exemerit, & promiſcuum literaturæ ejusdem uſum omnibus vel injunxerit vel ſaltem permiſerit: alteram verô ut prophanam ac communem Samaritanis, ceu Apoſtatis, reliqverit, & è Judæorum uſu ſuſtulerit. Atq; hôc ſenſu plerosq; Ebræorum Magiſtros, qvorum calculi nobis ab adverſæ opinionis Patronis opponuntur, intelligere licet. *III. Autoritates.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

An Puncta vocalia Ezram autorem habeant?

An Puncta vocalia & Accentus librorum V. T. Ebraicorum ad Ezram Scribam natales ſuos referant? an verò ipſius ætate vel prior vel poſterior cenſenda ſit illorum origo? diu multumq; in Doctorum Scholis diſputatum eſt. Notum eſt, qvod primus inter Judæos Elias Levita, Grammaticus ſuperioris ſeculi inclytus, atq; ipſum mox ſecuti complures è Chriſtianis eruditi Theologi, Philologi ac Critici, præſertim omnium acerrimus hyperaſpiſtes Lud. Capellus Prof. Salmur. in *Arcano Punctationis Revelato*, eam defenderint opinionem, qvod Puncta Ebraica nuſqvam in uſu extiterint, niſi poſt abſolutum Talmud, inventa demum & conſonantibus adjecta à Maſorethis qvibusdam Tiberienſibus, circa annum Chriſti qvingenteſimum. Nec deſunt qvi exiſtiment, opus iſtud Punctationis novitiæ non fuiſſe ad umbilicum perductum, niſi à duobus famoſis Ebræorum Criticis Ben Aſcher & Ben Naphtali circa A. C. 1040. Alii è contrario Puncta hæc ejusdem eſſe cum literis originis ac vetuſtatis aſſerunt, ſive ante Moſen unà cum conſonantibus ab Adamo excogitata, ſive à Deo in monte Sinai unà cum Lege Moſi tradita, qvanqvam poſtea in ſcribendo utplurimùm intermiſſa, & ad Ezræ tempora oblivioni ferè data. Alii deniq; Ezram noſtrum primum Punctorum autorem ac inventorem conſtituunt, nempe cum collegis ſuis viris Synagogæ Magnæ ſocietate laboris conjunctum.

Plerorumq; Iudæorum ſententia.

Et hancultimam ſententiam plurimi Ebræorum amplectuntur, qvod omnium locô docere poteſt R. Ephodæus lib. Gramm. c. 5. his verbis: והמניח והממציא לאלה הטעמים לפי דעת חז״ל הוא עזרא הסופר׳ וסמכו זה לאמרו וְשׂוֹם שֶׂכֶל אמרו וְשׂוֹם שֶׂכֶל אלו הטעמים׳ ודרש נאה הוא והדבור מסכים לגדר הטעמים כי יתנו שכל באמרת בכתוב׳ ואני אומר על צד המחשבה הגוברת כי הוא הממציא גם כן לרשמי הנקוד ואסמוך זה לאמרו וַיָּבִינוּ בַּמִּקְרָא כי באמצעות הנקוד תשלם הקריאה ותובן h. e. *Autor & inventor horum accentuum juxta ſententiam Sapientum noſtrorum p.m. eſt Ezra Scriba Probant verò eam ex eo qvod dicitur* (Neh. VIII. 8.) & apponendo intellectum, *dicunt enim iis verbis intelligi* accentus. *Et elegans eſt iſta expoſitio, ſermoq; cum definitione accentuum probè conveniens, hi enim revera dant intellectum Scripturæ. Ego autem dico ſecundùm communiorem ſententiam, qvòd etiam*

ipſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

ipſe (Ezra) *inventor ſit notarum punctationis, qvod probabo ex eo qvod dicitur* (eodem loco) & intellexerunt (*vel intelligere fecerunt*) Scripturam. *Nam interventu punctationis lectio perficitur & rectè intelligitur.* Qvandoqvidem verò operoſiſſimum ſe nuper in hâc controverſiâ expendendâ & dilucidandâ præbuit, ſupra nobis laudatus, Buxtorfius in erudito tractatu de Punctorum Origine & Antiqvitate, ante ſexennium edito, nobis diffusâ iſtius qvæſtionis enodatione ſuperſedere licebit, & ſufficiet Lectorem ad illum, qvi ex profeſſo id egit, amandaſſe. Iliada qvippe poſt Homerum ſcribere nolumus. Varias autem Pontificiorum hâc de re aſſertiones ſi qvem videre juvat, conſulat conſummatiſſimum Theologum D. Dorſcheum in Myſar. Miſſæ c. III. § 114. ſeqq. Id tantùm hoc loco affirmare non dubitamus, qvod puncta qvidem vocalia in primogeniâ ſacrorum oraculorum deſcriptione cum conſonantibus ſimul extiterint, atq; eandem cum illis originem agnoſcant; ſed tamen ſucceſſu temporum rarò à Judæis eorum notæ fuerint literis adſcriptæ, adeò ut ex illorum uſu usq; ad Ezræ tempora fermè exoleverint, qvanqvam qvoad poteſtatem in pronunciando & legendo per continuam traditionem inter eos fuerint conſervata: Scriba verò hicce divinus & Collegæ ipſius, ſpiritu Dei impulſi, in eo induſtriam ſuam occupaverint, ut has punctorum notas ſacris codicibus, ubi deerant, reſtituerent, ſicq; facilem ac expeditam eorundem lectionem poſteritati relinqverent. Eorum autem opinionem, qvi Punctorum inventionem Maſorethis Tiberienſibus, vel aliis recentioribus, adſcribunt, neutiqvam admittendam cenſemus. Videatur qvoq; D. Gerhardus in Exeg. de S. Script. cap. XV.

Noſtra ſententia.

XXVII.

Qvænam ab Ezra ſcripta ſint?

An præter unum hunc Ezræ librum, qvi ab ipſo extra controverſiam ſcriptus creditur, plures Sacri ap ipſo literis conſignati fuerint? in qvæſtionem venit. Librum qvidem alium, qvi *Nehemiæ* alioqvin nomen præ ſe fert, vulgò autem *ſecundus Ezræ* appellitatur, ipſi qvoq; ceu autori aſſignant Athanaſius in Synopſi, Iſidorus Orig. VI. 2. & Genebrardus in Chronol. Occaſio autem ejus opinionis hæc fuiſſe videtur, tum qvòd uterq; liber unam eandemq; hiſtoriam, tantummodò continuatam, contineat, tum qvòd uterq; tam apud Ebræos veteres, qvàm apud

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

Græcos, in unum volumen connectatur, qvanqvam apud Latinos in duo diſtingvatur. Unde Maſorethæ non cujuslibet libri ſigillatim, ſed utriusq; conjunctim verſiculos numerarunt 688, eorumq; *medium* notarunt Nehem. III. 32.

Nehemias ipſe eſt ſui libri autor.

Verùm cum veritate magis congruit, qvòd ipſe Nehemias librum iſtum, qvi ipſius nomine inſignitur, conſcripſerit. Si enim aliorum codicum ſacrorum inſcriptionibus fidem haut gravatim adhibemus, cur non & hujus libri frontiſpicio credimus, qvô veri Autoris Nomen proditur, dum דברי נחמיה בן חכליה h. e. *Verba Nehemiæ filii Chacaliæ* præferuntur? Qvin ipſe Nehemias de ſemetipſo in primâ perſonâ verba faciens paſſim iſto in libro introducitur, qvamvis etiam in tertia nonnunqvam perſona de ſemet loqvatur, qvod ipſum Moſen qvoq; in Hiſtoria, & Matthæum ac Johannem in Evangelio factitaſſe deprehendimus. Vid. Rainoldus Prælect. CXI. de Libb. Apocryph. p. 1397. Adde qvod Joſephus Antiq. XI. 5 haut obſcurè innuat, præcipuas res, qvæ in hoc libro memorantur, demum poſt Ezræ exceſſum è vitâ geſtas fuiſſe, adeò ut ab Ezra literis mandari haut potuerint. Hinc cæteri, qvotqvot videre nobis licuit, Pontificii, præter unum Genebrardum, nec non alii Interpretes, diverſis autoribus duos iſtos libros attribuerunt.

Tertius & qvartus libri Ezræ Apocryphi.

De reliqvis autem duobus libris, qvi *Ezræ tertius & qvartus* communiter nuncupantur, hoc universæ ferè Eccleſiæ, tam antiqvæ qvàm hodiernæ, judicium extat, qvòd Apocryphi ſint, & à ſacro canone alieni, nec unqvam à divino Ezra vel θεοπνεύςῳ Scriptore alio editi. Qvanqvam enim hi libri citentur à Patribus, Athanaſio, Auguſtino, Ambroſio, Cypriano & Clemente Alexandr., (non tamen ut Canonici, ſed veluti non prorſus inutiles) qvanqvam etiam eos in Canonem admittere non dubitaverit Genebrardus, à Bellarmino eapropter caſtigatus de Verbo Dei l. I. c. 20. tamen ſuô meritò à ſanioribus Pontificiis, & orthodoxis omnibus, inter Apocryphos numerantur. Prior qvidem illorum, nempe *tertius*, Græcè extat, (ſed non Ebraicè) in editione LXX. Interpretum, qvantumvis id negaverint doctiſſimi Viri Fr. Lucas Brugenſis, Fr. Vatablus & Fr. Junius, qvia illis viſus non fuit, fortè qvòd in Bibliis Complut. ut & Regiis Græcè non habeatur, vid. Rainold. Præl. IX. p. 239. Imò præmiſſus eſt *tertius* ille Ezræ liber primo noſtro Canonico &

Ebraicè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

Ebraicè ſcripto, in Græcis Bibliis, forſan qvia Hiſtoria eô contenta prior credita fuit, ut primi Ezræ libri initium apud Græcos ſic habeat, Καὶ ἤγαγεν Ιωσίας τὸ πάσχα ἐν Ιερουσαλὴμ, ſecundus verò conveniat cum primo Canonico, dum incipit Καὶ ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει Κύρου τοῦ βασιλέως Περσῶν &c. Quartus autem Ezræ nec Ebraicè nec Græcè uſqvam reperitur. Et utrumq́; canonicâ autoritate deſtitui, idoneis argumentis dudum probarunt à noſtrâ parte D. Gerhardus Exeg. de Script. c. VIII. à Pontificiâ Jac. Bonfrerius Præloq. in Script. cap. V. ſect. 2. & operoſiſſimè omnium è Reformatorum cohorte Rainoldus Prælect. XXVIII. XXIX. XXX. & ſeqq. ut alios jam tacitus prætermittam.

XXVIII.

Libri Paralipomenon an ab Ezra ſcripti ſunt?

Libros Chronicorum, qvos Ebræi דברי הימים, Græci Παραλειπόμενα vocant, Ezram qvoq́; autorem agnoſcere, pleriq́; Chriſtiani exiſtimant. Id enim ſvadere videtur convenientia illa verborum & narrationis, qvæ in clauſula lib. II. Chronicorum & in principio libri Ezræ deprehenditur. Apud Ebræos autem incertum adhuc eſt, an Ezra integros illos libros conſcripſerit, an verò eam ſaltem illorum partem, qvæ Genealogias complectitur, & reliqvas particulas ab aliis antea conſignatas in unum volumen collegerit, in ordinem redegerit, atq́; Canoni ſacro inſeruerit. Sic Raſchi ſcribit ad init. l. I Chronic. עזרא כתב ספר היחס הזה על ידי חגי זכריה ומלאכי h. e. *Ezra confecit catalogum hunc genealogiarum per manus Haggai, Zachariæ & Malachiæ.* In Talmud *Maſſecheth* בבא בתרא cap. I. dicitur: עזרא כתב ספרו ויחס של דברי הימים עד לו h. e. *Ezra ſcripſit librum ſuum & Genealogias libri Chronicorum usq; ad ſe ipſum.* Idem ferè ait R. Gedaliah ben Jechaja in libro qvem שלשלת הקבלה vocat fol. 66. עזרא כתב ספרו ויחוס דה״ עד וְלוֹ אַחִים וגו׳ h. e. *Ezra autor eſt libri ſui, & genealogiarum in Paralipomenis usq; ad verba iſta*, & ipſi fratres fuere 2. Par. XXI. 2. Magis verò perſpicuè & accuratè ſententiam ſuam proponit R. David Kimchi in Procem. comm. ad lib. I. Chronic. ואמרו רבותינו ז״ל כי זה הספר כתב עזרא׳ והאמרת כי קודם עזרא נכתבו דברי הימים למלכי יהודה כמו שאמר בספר מלכים׳ אלא שלא חבר עדין לכתבי הקדש׳ אלא שהיה נכתב ספר לבדו בדברי הימים למלכי יהודה׳ וכן דברי הימים למלכי ישראל היו נכתבין בספר׳ אלא שאותו ספר לא חבר אל כתבי הקדש

Ebræorum hâc de re ſententia.

לפי

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

לפי שלא עמדה מלכות ישראל וגו׳ : Et mox: וכן יחס בזה הספר עזרא מלכות עד זרבבל וחבר עזרא זה הספר בכתבי קדש על ידי חגי זכריה ומלאכי הנביאים האחרונים וחברו עם הכתובים ולא עם הנביאים וגו׳ h.e. *Dicunt Rabbini noſtri p. m. qvòd hunc librum Ezra ſcripſerit. Verius autem eſt, qvod ante Ezram jam ſcripti fuerint libri Chronicorum Regum Jehudæ, ſicut memorantur in libro Regum; ſed nondum conjunctus fuerit iſte liber cum aliis ſcriptis ſacris*, (i.e. nondum in Scripturæ S. Canonem relatus) *verùm qvod ſeorſim ſcriptus fuerit liber annalium Regum Jehudæ, quomodo annales Regum Iſraëlis peculiari libro erant conſignati, ſed iſte liber non junctus fuerit libris ſacris, qvia non perſtitit regnum Iſraëlis*, &c. Deinde paucis interjectis, *ſicq́, per genealogias perduxit Ezra regnum usq́, ad Zorobabelem, & inſeruit hunc librum codicibus ſacris per manus Haggai Zachariæ & Malachiæ, Prophetarum noviſſimorum, & apposuit eum Hagiographis, non verò Prophetis*, &c. Atq́; hæc Rabbinorum ſententia à veritate abludere haut videtur.

An liber Eſther ab Ezra ſcriptus ſit?

Hiſtoriam *Eſtheræ* Reginæ Ebraicam etiam ab Ezra ſcriptam eſſe arbitratur Iſidorus loc. cit. Philo Judæus eam Joachimo, ſummo qvondam Pontifici, tribuit. Rectiùs autem ejus autor ſtatuitur Mardochæus, Reginæ Patruus & nutricius, rerumq́; ibi narratarum ſcientiſſimus. Id enim innui videtur cap. IX 20. 23. Sicq́; ſentit Aben Ezra ad init. lib. Eſther, dum ait: ונכון בעיני שזאת המגלה חברה מרדכי וזה טעם וַיִּשְׁלַח סְפָרִים וגו׳ h. e. *Mihi videtur qvod hunc librum compoſuerit Mardochæus, atqvè hic ſenſus ſit verborum* (Eſth. 9. 20.) *& miſit literas.* Idem pleriq́; Chriſtiani Interpretes exiſtimant, laudati à Nierembergio de Orig. S. Script. l. X. c. 13.

Alia monumenta an Ezræ tribuenda?

Præterea caput Geneſeos XXXVI. qvô genealogia Eſavi ultra Moſis tempora protenditur, & cap. Deut. ultimum, qvô ſuprema Moſis fata narrantur, ab Ezra Hiſtoriæ Moſaicæ adjecta eſſe Alf. de Toſtato & alii arbitrantur. Alia jam taceo. Qvòd Kabbaliſtici libri non pauci ab Ezra ad poſteritatis memoriam ſint transmiſſi, atq́; Ezra per conſeqvens ſcientiæ iſtius Kabbaliſticæ Princeps cenſeri debeat, id Picus Mirãdulanus aſſerere haut dubitat in Apolog. p. 82. Nititur verò falſo principio, Apocrypho nimirum lib. IV. Ezræ c. 14. teſtimonio, qvod ſupra à nobis rejectum eſt. Judæis autem, qvi eodem inſtituto Kabbaliſticos ejusmodi libros Ezræ affingunt, ſolenne illud

eſt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

eſt, ut viris magnis ac *θεοφορουμένοις* ſpurios fœtus ſupponant. Sic libri יצירה *de Creatione* autorem Abrahamum comminiſcuntur. Sic Salomoni ſcripta qvædam tribuunt, qvæ nec ſtyli barbaries, nec rerum cruditas, imò impietas, ipſi ullâ cum veri ſpecie aſſignari permittit. Eodem ſanè modo ſimiles libri Ezræ temerariò auſu fuere adſcripti.

XXIX.

Libri Ezræ αὐθεντία.

Tandem de ipſo libro Ezræ hæc obſervanda veniunt. I. Qvòd hic Canonicam autoritatem obtineat, tanqvam à divino iſto Scriba extra controverſiam exaratus, & Eccleſiæ traditus, atq; in numerum librorum Canonicorum receptus, adeò ut de ipſius *αὐθεντίᾳ* nemo pius, qvod ſciam, hactenus dubitaverit. II. Qvòd partim *Ebræo*, partim *Chaldaico* ſermone ſit conſcriptus. Et Eberinum qvidem idioma à principio libri usq; ad cap. IV. comma 8. continuatur: inde verò uſq; ad cap. VI. comma 19. Chaldaicum adhibetur. Mox Ebraicus ſermo repetitur usq; ad cap. VII. comma 12. Iterum Epiſtola Regis Artaxerxis dialecto Aramæâ conſignata inſeritur ad comma 27. cap. ejusd. Hinc verò usq; ad finem libri Eberinus character rurſus ab Autore uſupatur. Cauſa autem utriusq; illius Idiotiſmi ab Ezra uſitati hæc apparet, qvòd qvanqvam Judaicus populus in Babylonica captivitate detentus vernaculam lingvam Ebræam haut penitus perdiderit, eam tamen Chaldaicæ dialecti contagiô, per familiare ac qvotidianum Babyloniorum conſortium, infectam ſenſerit, adeò ut Ebraiſmus in vulgari ipſorum uſu paulatim in Chaldaiſmum deflexerit. Oſtendunt hoc vel ſola menſium Judaicorum nomina, qvæ è Chaldaiſmo deprompta, & iſtâ tempeſtate uſurpata, in Ezræ, Nehemiæ & Eſtheræ libris commemorantur. Et ſi qvi erant inter Judæos purioris Ebrææ Lingvæ ſtudioſiores, Chaldaicum tamen Idiotiſmum ſimul diſcebant, & freqvente cum Chaldæis converſatione excolebant. Poſteà verò ſucceſſu temporis adeò imminutus eſt nativus iſte Lingvæ Sanctæ nitor, in decrepitâ ſuâ ætate, ut circa tempora Chriſti in dialectum Syro-Chaldæam prorſus degeneraverit. Vide Barth. Mayerum Philol. Sac. P. II. c. 2. theor. 2. & Buxtorf. in Diſſert. de Ling. Ebr. Conſerv. & Propag. §. 42. ſeqq. Atq; eâ de causâ Daniel Propheta, Ezræ *σύγχρονος*, librum ſuum in publicum emiſſurus, tam

Lingva, qvâ ſcriptus eſt hic liber.

 Chal-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

Chaldaicô qvàm Ebraicô idiotiſmô uti non detrectavit. Taceo, qvod Jeremias qvoq; capiti ſuo X. comma aliqvod, nempe undecimum, Chaldaicâ lingvâ ſcriptum inſeruerit. III. Obſervandum libri hujus argumentum, qvod nimirum Hiſtoriam contineat rerum à gente Judaicâ, Cyri Regis beneficiô è captivitate Babylonis dimiſsâ, atq; in patrias ſedes reversâ, geſtarum usq; ad añum Artaxerxis Longimani vigeſimum, unde Nehemias ſuam narrationem orditur.

Argumentum libri Ezræ.

XXX.

Autographũ Ezræ an adhuc extet?

Unum addimus, priusqvàm finiamus, de ipſo Autographo Bibliorum ab Ezra reſtauratorum, qvod propriâ Ezræ manu in membranâ oblongâ exaratum etiamnum extare, & Bononiæ in Cœnobio Prædicatorũ in Sacrario S. Dominici ſummâ cum veneratione ſervari, teſtantur Sixtus Sen. lib. 2. Biblioth., Finus Adrianus Flagell. Jud. l. IX. c. 2., Franc. Tiſſardus Ambaceus in Grammat. Ebr. edit. Pariſ. A. 1508., Ang. Rocca in Bibl. Vatic. & Jo. Euſ. Nierembergius l. IX c. 29. Sed qvòd illud ipſum Ezræ αὐτόγραφον ſit, credat Judæus Apella, non ego. Crediderim potiùs à Templi ſecundi devaſtatione nusqvam extitiſſe iſtum Ezræ codicem, cùm non ſolùm eâ tempeſtate, ſed aliqvoties poſteà loca publica, ubi talia cimelia aſſervabantur, diruta & incendio devaſtata ſint. Certè veteres Judæorũ Magiſtri & antiqvi Patres nusqvam, qvod nobis compertum eſt, ejus meminerunt, qvi tamen hunc theſaurum, ſi eum agnoviſſent, neutiqvam ſilentiô involviſſent. Ipſi qvoq; illi recentiores Judæi, qvi iſtius codicis meminerunt, ut R. Maimonides & R. Azarias, adeò fabuloſis commentis & monſtroſis parachroniſmis ſuam deformant narrationem, ut vix niſi pro fabula haberi qveat. Confer Morinum Excerc. Bibl. lib. I. p. 28. 29. & Hottingerum Theſ. Phil. l. I. c. 2. ſect. 4. qv. 2. Vidit qvidem iſtum Arias Montan. ſed eum ſaltem ut *antiqvum* ac *elegantem* laudavit in Præf. de Var. lect. in lib. Ebr. Proculdubio eâdem fide codex Ezræ Bononiæ oſtentatur, qvâ *Romæ ex autoritate Papæ monſtratur codex Bibliæ, tanqvam reliqviæ Sanctorum accenſis luminibus, qvem dicunt ſcriptum chirographô Hieronymi*, *propterea qvòd* (juxta Virgilium) *multum eſt pictai veſtis & auri*, prout loqvitur Laur. Valla in Orat. de Falſ. Donat. Conſtant. M. Sed manum de tabula.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-96 4° 964